



~~M. 2, 226.~~

~~H. N. II, 398.~~

~~1056~~

~~11, 399.~~

~~109. *[illegible]*~~

























































































HISTORIA BIBLIO-  
THECÆ REIP.  
NORIBERG.

Joh. Sauberto.





HISTORIA BIBLIO  
THECA REIP.  
NORIBERG.

Jo. A. Schaefer

**BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA**



B

du

alt

alt

J.

Ac

A

i



HISTORIA  
BIBLIOTHECÆ  
REIP. NORIBER-  
GENSIS,

*duabus Oratiunculis illustrata,*

quarum

altera de ejus STRUCTORIBUS  
& CURATORIBUS,  
altera de RARIORIBUS quibus-  
dam & scitu dignis agit,

*Authore*

J. SAUBERTO, Ecclesiæ  
Noribergensis ad Div. Sebal-  
di Pastore &c.

*Accessit ejusdem curâ & studio  
Appendix de Inventore Typographiæ,  
itemq; Catalogus librorum proximis ab  
inventione annis usq; ad A.C.  
1500. editorum.*

---

NORIBERGÆ,  
Typis Wolfgangi Enderi,  
Anno 1643.





VIR O

MAGNIFICO, NOBILISSI-  
MO ET MAXIME STRENUO,

DN. MATTHÆO

APELLI à Löwenstern  
in Langenhof ꝛc. SAC. ROM.  
CÆS. MAIESTATIS, & Il-  
lustris. Ducis Monsterbergen-  
sis Consiliario meritis-

simo,

Domino & Amico faventissimo,

S. P. D.

**B**nter melioris litera-  
turae Optimates Te  
unum hic jam appel-  
lo, APELLES  
MAGNIFICE, cum pro-  
bè sciam, nec distortis oculis,  
nec animo scabie infecto, sed can-  
didè



didè benevoleq; libellum hunc Te  
esse excepturum, qui vel solo ar-  
gumento se Tibi probabit.

Agitur hìc de Instrumento,  
quo Imperatores, Reges, Duces,  
Comites, Barones, Consiliarii,  
maximi, medioximi, minimi,  
in consiliis, in deliberationibus,  
in curiis, in foro, in dicasteriis,  
aliisq; actionibus publicis & pri-  
vatis carere non possunt.

Agitur de libris, quorum  
insigni supellectile Te quoque sic  
gaudere accepimus, ut non tan-  
tum eorum spectaculo, sed & stu-  
dio, cultuq; perfruaris. Quan-  
tum enim ex illis profeceris, co-  
gnoscere proclive est ei, qui inge-  
nii tui monumenta accuratius  
evoluit, & inter alia præcipuè  
DESIDERIUM PACIS (quod  
denuò nuper evulgasti) conside-



rat: in quo scriptiois genere tam  
nemini cedis, quàm alios longè  
superas.

Agitur hic de NORICO-  
RUM BIBLIOTHECA, ad  
quam, quia coràm non possum,  
compendiario quodam mentis iti-  
nere Te introduco, amicus ami-  
cum. Visum enim Tibi est, eorum  
me numero, sponte tuâ, adscisce-  
re, quos effusè diligis.

Censebis autem facilè no-  
biscum, nulli in Germania No-  
stram Hanc inferiorem esse, si à  
Principis AUGUSTI, Ducis  
Brunsvic. & Lunæburgensis,  
DOMINI, MEI CLEMEN-  
TISSIMI, Bibliothecâ disces-  
sero. Amplissima ea est, & Posses-  
sore Augustissimo, Literatissimoq;  
superbit, de cuius Pietate & stu-  
diis à nemine tam multa, tamq;  
magna



magna prædicari possunt, quin  
multò meliora & majora encomi-  
is supersint: Nec desunt hodie  
Viris eruditis cause, cur omnes  
faustissima omnia **TANTO**  
**PRINCIPI** certatim & gra-  
tulabundi comprecantur.

Sed ad Te redeo, **VIR CLA-**  
**RISSIME**, & animum tuum in  
me tam propensum l. m. q. ample-  
ctor, veneror, exosculor. Faxo  
etiam deinceps, (quantum in me  
fuerit,) ut dum in vivis agemus,  
vivat quoq. & floreat amicitia  
nostra: quam fidem meam inte-  
rim hac ipsa nominis tui laudatissi-  
mi præscriptione ob signo.

Vale pulcherrimè cum tota  
Domo, & plurimam ex me salu-  
tem inter Amicos communes,  
**Dn. Dn. HVBRIGIVM, BO-**  
**HEMV M, COLERUM, &**  
**TSCHER-**



TSCHERNINGIUM di-  
vide. Dab. Noribergæ, die Arch-  
angelo MICHAELI sacro, An-  
no, quem BOHEMVS noster in  
perpetuam DESIDERII tui  
memoriam sic expressit:

Lætâ paCe VIRI ConsVLta  
JehoVa gVbernet,  
qVI paCeM CVnctIS  
optat In orbe VIRIS.

Joh. Saubertus,  
votis vestris omni-  
bus.

Arma



**A** Rma canant alii, dilaudent fortia  
fortes:

Optima Sauberto Sparta relicta fuit.  
Ille tibi veterum laudat monumenta  
Virorum,

Et quibus est summi vox patefacta Dei.  
Cætera tempus edax deformat, perdit &  
aufert,

Ne possis vitæ commoda ferre tuæ.  
Ipsaq; forma perit, viresq; æt te fatiscunt,  
Ac premit indigno fors inimica pede  
Pleraq; ; quin magno constructa palatia  
sumtu

Dispercunt: famam nil superare valet.  
Hanc pridem celebrasse docet, quos pu-  
blica magno

Possedit numero Bibliotheca, libros  
*Saubertus, doctæ decus immortale cohortis,*  
*Saubertus, sacri gloria prima chori.*

Rev. plurim. atq; Excellentiss.

Dn. Sauberto honor, ergo

f.

*Theod. Hackspan/Lingu.*

*Sanct. Prof. & h. t. Univer-*

*sitatis Altorfinae Rector.*

Reverendo & Excellentissimo Dn.

Johanni Sauberto, Theologo Ec-  
clesiæ Norib. primario:

**O** Lim cum juveni Tibi florida surgeret  
ætas,

Et coleres Clarii Numina casta Chori,

A 5

Te



Te chartis famaꝫ, dedit populoꝫ, loquendū  
Doctrina, è sꝑhicus jugiter hausta libris;  
At cūm firmato jam starent pectore vires,  
Magna Tibi è Sacris gloria nata fuit.  
Nunc Senium obrepit. Quid Tu? Te Rheto-  
ra monstras,

Eloquiūꝫ, facis flumina nota Tui.  
Maētē istis donis! Excellentissimus audis  
Iure, cui est toties emicuisse datum.  
Sidera post mortē Cœlorum excelsa subibis,  
Claraꝫ, per terras fama superstes erit.  
Deb. amoris & off. ergo  
Fac.

Georgius König, D. & P.P.

**D**Vm crepitant alii Romphæos, tela,  
farissas, (bos:  
Bombardas, peltas, sulphureosq; glo-  
Cūctaꝫ, Vulcani curā fabrefacta solerti;  
Vrbis Noriacæ quæis HO PLOTHE-  
CA tumet;

Non voluit SAVBERTI animus monu-  
menta latere, (tenet.

Quæ locuples Vrbis BIBLIOTHECA  
Sed mersum lōgis ignoratumq; tenebris  
Eruit & pādīt gnāviter. HOC OPERE.  
Hinc magnam NOSTER laudem sum-  
mamq; SENATVS, (bet.

Tot monumēta parans, sedulitatis ha-  
REV. & Excell. Dn. Collegæ & Af-  
fini plur. observando

M. Cornelius Marci,

ad D. Laurent. Pastor.



*In Orationem Reverendi & Doctis.  
Viri Theologi & Polyhistoris, Dn.*

**JOAN. SAUBERTI, &c.**  
Epigramma ad Reverend. & Doctisf.  
Theologum,

**Dn. CORNELIVM MARCI,**  
*&c. Dn. & Amicum honoratum.*

**MARCE,** perorantis SAUBERTI  
agnovimus ora,  
Quā pulchris steterit Bibliotheca locis;  
Quam multorum ope culta operâq; fi-  
deq; ; sed ipse est  
Orator doctis Bibliotheca Viris.

*14. Jun. An. 1643.*

*Ioan. Vlricus. IC.*

---

*In Orationem*

**DE BIBLIOTHECA  
NORICA,**

*Emblema Anagrammaticum.*

**JOHANNES SAUBERTUS,**  
prodit Epigraphe Em-  
blematica

**NÆ, THESAVRVS NOBIS!  
Evolutio.**

*Se.*





Ecedant leuium greges  
Dromonum,  
queis solus labor est, gulã  
fovere;  
quos conuiuia, quos vo-  
cationes,  
quos nummiq; tenet cupido dira,  
aut conuicia & emulationes,  
Carbones pretium ante res putantes!  
SAUBERTUS, Sophiæ ille Mystagogus,  
ipsa dulcisona medulla Suada,  
NÆ NOBIS reserat diu repostum  
THESAVRVM, ambrosiã atq; dulce ne-  
vincentem, teretesq; margaritas, (ctar  
quas nullo Cleopatra aceto soluat:  
Nam sic aurea dicta, facta, scripta  
divinã quasi virgulã recludit,  
Orco Mercurii instar, evocatq;  
Orbi Mercurius datus diserto.  
Adeste ingenio mei sodales,  
quos pulcro Genius potens amore,  
& Musæ sacer illigavit ardor!  
Heic solus labor est, fovere Mentem,  
nobisq; eruere & viterna rerum,  
Thesaurum minimeq; transeuntem!

ita ex animo censet

Georg-Philippus Hars-  
dörffer.

Pro-



# PROGRAMMA

publicè  
affixum.

## I.F.P.Q.

**M**Avortis impiger ferocis adsecla  
menses cruentos jactet atq; tympana,  
et arma fonte sanguinis manantia.

Avarus optet nobilis myrmecia  
auri, magisq; nobiles auro suo  
gemmas, suoq; quicquid alveo vehit  
Pactolus, aut Tagi fluenta fulgida.

Latetur hic & iste lubricis bonis:  
nos gaudeamus mentis enthe & bonis:  
rerumq; multiformium scientiâ:  
quã præbet ætas cū recens, tum antiquitas,  
quæ se libris præsentat immortalibus.

Videre forsán seculorum discupis  
retrosiorum principes acuminis  
& ingenI, scientiarum Antistites?

Thecas ad librarias: & inspice.  
Nam Bibliothecæ quid? nisi viva Virum,  
loquentium nobis adhuc, imagines,  
& absq; tetra fraude consulentium.



Quis major ornatus Rei-sit-publicæ,  
quàm Bibliothecæ publicæ sacrarium,  
æternitatis aureum Capitolium:  
quali triumphat inclyta hæc Respublica,  
benigna nutrix literarum & Artium.

Sed BIBLIOTHECÆ NORIDOS do-  
Oratione encomium Noster canet (etissimâ  
SAVBERTVS ille, clarus orbis per plagas,  
Cœlestis Eloquentia Peitho, tuba  
Ecclesia, cœtus sacri fax prævia;  
ortumq; & auctus explicabit singulos.

Prænobilis vos PATRIÆ MAGNI PA-  
TRES,

& qui fovetis atq; amatis literas,  
cras, hora cùm secunda nobis fulserit,  
venite: SAVBERTVM audiatis ut No-  
strum,  
jucunda dicturum atq; doctis commoda.

P. P. XIII. JunI d̄ob̄cXLIII.

JOHANNES MICHAEL  
DILHERRUS, P. P.

ORA-



ORATIO PRIOR.



Vm, plusculis  
abhinc annis, AU-  
DITORES O-  
MNIUM ORDI-  
NUM HONORATISSIMI,  
Justus Lipsius, Magnus ille e-  
ruditionis Arbiter, CARO-  
LVM, Ducem Crojum & Ar-  
schotum Bibliothecæ ampli-  
ficandæ operam dare vide-  
ret, non potuit facere, quin  
de Bibliothecis Syntagma  
quoddam conscriberet, non  
voce (ut aiebat) sed facto tan-  
ti Principis incitatus.

Ego (liceat enim ho-  
muncionem giganti, corpo-  
ri umbram conferre) cùm vi-  
di hætenus, ex hac rerum,  
tem-

ca,  
lica,  
m.  
S do-  
tissimâ  
agas,  
os.  
II PA-  
it,  
ut No-  
noda.  
XLIII.  
HAEL  
P. P.  
RA-



ORATIO PRIOR

temporumq; caligine, denuò  
inter nos, DEI beneficio, eri-  
gi & efflorescere honesta stu-  
dia, ac proinde nostrates plæ-  
rosque literarum Sacra cole-  
re, alios ea favore suo ornare,  
alios munificentiam propaga-  
re & fovere, omnes denique  
Doctrinarum instrumento,  
LIBRIS delectari: de *Biblio-  
thecâ Bibliothecarius* verba a-  
pud vos hoc loco facere, con-  
stituti.

Neque animus est, ad  
longinqua nunc abire. Non  
arcessam huc ex Diodoro Si-  
culo vetustissimam de Rege  
illo Ægypti historiam, qui li-  
bros magno numero primus  
collegit, titulumq; adjecit:  
*Ψυχῆς ἰατρείον*, ANIMÆ OF-  
FICI-



FICINA MEDICA. Non laudabo prolixius quadringenta illa librorum millia, Alexandria à Ptolomæis relicta. Superfedebo etiam, dicere de hujusmodi thesauro, Athenis custodito, qui Pisistratum authorem habuit. Non commemorabo, quâ industria & alacritate Reges Attalici Bibliothecam Pergami struxerint, Pergamenam postea dictam. Tacebo Julii Cæsaris factum, de quo *Svetonius* presè & breviter: Destinabat, inquit, bibliothecas Græcas & Latinas quàm maximè publicare, datâ Marco Varroni curâ comparandarum & dirigendarû. Ita ille. Quo exemplo invitati Successores, idem

curâ



4 *NOTA ORATIO PRIOR.*

curâ impendiosâ egerunt, ut Romæ tandem, Petro Victore annotante, Bibliothecas publicas undetriginta conspicere licuerit.

Disſimulabo recentiores, aut ſaltem nomine attingam, Vaticanam hodiernam, Florentinam Medicæam in Etruria, Venetam, Cardinalis Beſſarionis libris auctam, Salmanticenſem in Hiſpania, eidemq; vicinam Lovanienſem & Lipſianam, Pariſienſem & Aurelianenſem in Gallia, cum primis Franciſci Primi Bellaquenſem, Oxonienſem & Cantabrigienſem in Anglia, Lugdunenſem Batavorû, Viennenſem in Austria, Monacenſem in Bavaria, Hei-  
del-



DE BIBLIOTHECÆ STRUCTOR. 5  
delbergensem, belli injuriâ  
distractam, Brunsvvicensem  
*Augusti Principis* florentissi-  
mam, Augustanam, alias:

Nimirum à *publica* lau-  
datissimæ hujus Urbis *Biblio-*  
*thecâ* dicendi argumentum,  
mihi sumam, idq; eò gratius  
Vobis futurum, quò arden-  
tior vos tenet librorum a-  
mor, ut etiam in senescere il-  
lis, aut immori non pauci ve-  
litis.

Quæso igitur, permitti-  
te, *Viri Generosi, Magnifici, No-*  
*bilissimi, Prudentissimi, Consul-*  
*tissimi, Reverendi, Clarissimi,*  
*juvenes ornatissimi,* permitti-  
te, inquam, mihi, quemad-  
modum Athenesius quon-  
dam Philonis præsentia in ru-  
borem



6 ORATIO PRIOR.

borem datus, abesse eum vigilans somniavit, ut ita & ego absentes vos mihi imaginer, & sub hoc ipso indultus & benevolentia vestrae praesidio infantiam meam, abscondam.

Duo autem sunt, quae in meum veniunt institutum, alterum, ut *variora* quaedam *Bibliothecae Noribergensis*, a me animadversa, vobis recitem: (quod brevi, cum DEO, fiet) alterum, ut enumerem Structores ejusdem Magnificentissimos, ordine eo, quo quisque a DEO datus est: Et hoc nunc quidem agam, quantum per temporis brevitate licuerit.

Ex Syris notum est translatici-



latitium illud: multi libri, multa  
 eruditio: quod tamen nemo  
 cordatus sine cautione affir-  
 maverit. Quis enim ignorat,  
 etiam indoctissimos quan-  
 doque eruditionis gloriolam  
 librorum copiâ aucupari?  
 qua de causa Philomusum,  
 quendam ab Aufonio explo-  
 sum legimus, istis verbis:

*Eritis quòd libris tibi Bibliotheca  
 referta est,*

*doctum & grammaticum te,*

*Philomuse, putas:*

*hoc genere & chordas & plectra*

*& barbita conde,*

*omnia mercatus, cras citha-  
 rædus eris.*

Hanc quoque insaniam  
 insanavit Christophorus Car-  
 dinalis Eboracensis, qui etiam si  
 nihil



3 ORATIO PRIOR.

nihil bonarum literarum at-  
tigisset, cujuscumque tamen  
disciplinæ, linguæq; nomen  
& scientiam eminentebatur,  
testem subinde allégans in-  
gentem librorum suorũ nu-  
merum, quos non modò  
non intelligebat, sed ne lege-  
rat quidem. Itaque cùm ali-  
quando, Reginaldo Polo  
Cardinale & Thoma Moro  
præsentibus, se adducere vo-  
luisse versum Homericum,  
sed excidisse sibi memoriã,  
dixisset, Morus ad Reginal-  
dum cõversus, ἄδεν' ἀεὶσ' ἔπος,  
inquit; Tum Christophorus:  
& hic ipse est versus, quẽ vo-  
lebam: verùm exciderat. Ita  
svavem movebat illis risum,  
vanus instructissimæ Biblio-  
thecæ possessor. De



DE BIBLIOTHECÆ STRUCTOR.

De veris autem bonarum literarum cultoribus verè dixero, eos non posse non amare libros honestos. Amavit, Aquila Philosophorum, Aristoteles, primus in Græcia librorum collector, διδάξας τὰς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν, ut Strabo testatur, id est, qui suo hoc exemplo Reges Ægypti structuram Bibliothecæ docuerit. Amârunt igitur postea etiam Ptolemaei, Reges doctissimi. Amavit Augustus Cæsar, quia magnos in literis progressus ipse fecerat. Amavit Antoninus Imperator & id ipsum memorabili hac expressit voce: ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐργῶσιν: ἐμοὶ δὲ βιβλίων κλήσε-



κλήσεως ἐκ παιδείας δεινὸς ἐντέ-  
 τηκε πύθϙ: alii equos, aves alii;  
 alii feras deament: mihi verò  
 à puero ingens desiderium li-  
 brorum possidendorum, in-  
 stillatum est. Amavit quoque  
*Carolus Magnus*, quòd artes li-  
 iberales non leviter degustâs-  
 set: Idq; eo quidem tempore,  
 quo jam cœperant ipsi Docto-  
 res cum Musis divortium fa-  
 cere, donec barbarie squalle-  
 rent toti. Hinc librorum con-  
 temtus sequutus, quos vel  
 stupiditate quadam, ut inuti-  
 les, damnabant, vel invidiâ,  
 tanquam suis obstruentes lu-  
 minibus, oderunt: Id quod  
 homo quidam Pontificii Or-  
 dinis inficias ire non potuit,  
 cùm scriberet: Hildeshei-  
 men-



DE BIBLIOTHECÆ STRUCTOR. 11

mensis Episcopi, ut ferè omnes Germaniæ Pontifices, aliquando armis, quàm libris congerendis & versandis studiosiores, Bibliothecas penitus neglexere. Neglexere, inquit: nempe quia nec docti erant, nec probi, sed in Comici Latini verba conclamaverant, paulùm immutata: *Exequias literis & libris, quibus est commodum ire; ite, jam tempus est.*

Si quid librorum ipsis reliquum fuit, omne inevolutum, pulvere obsitum & undequaque vinctum caecum jacuit, ut meritò hunc Poëtæ jocum proritariant:

*Haut secus, ac duro fugitivos  
carcere servat*

B

vestra



*vestra catenatos Bibliothecae  
libros.*

*Quid mirum, si nulla viget Do-  
ctrina, colendi*

*Doctrinae Authores hic ubi  
vincla gerunt.*

Isti verò inscitiae Patroni  
facile suos reperiebant Suc-  
cessores, qui nullum non mo-  
vebant lapidem, ut bonas li-  
teras, librosq; tum paulatim  
reflorescentes, opprimerent;  
Sed frustra tamen, DEO pro-  
hibente, fuerunt, cum artium,  
ingeniorumq; cultura in aliis  
plurimis librorum quoque  
colligendorum curam atque  
impensam pepererit.

Sic uno, eodemque tem-  
pore & inter mortua studia re-  
vocârunt, & libros carie, situq;  
peri-



perituros restituerunt. LEO  
 decimus in Italia, apud Hispa-  
 nos Cardinalis Toletanus,  
 Rex Henricus octavus apud  
 Anglos, in Gallis Franciscus  
 primus, in Germania Elector  
 Saxonix, & Eberhardus Dux  
 Würtembergicus, alii alibi.

Nam & ad Imperii Urbes  
 felicitas ista pertigit; inter  
 quas primam eâ ipsâ de causâ  
 hanc nostram, atq; adeo no-  
 bilissimas Patriciorum Fami-  
 lias laudamus. In harum enim  
 Sacraria si mecum intraveri-  
 tis, bone Deus! quot audietis  
 Nomina magna? quot Heró-  
 as? quot Patres Patriæ? quot  
 insignes studiorum & libro-  
 rum Propagatores ac Patro-  
 nos?

B 2

Non



Non repetam, quæ de re-  
 bus gestis *Bilibaldi Pirkameri*  
 ab aliis notata accepimus.  
 Unum illud vehementer hîc  
 afficere nos potest & debet,  
 quòd Senator iste, qui, præter  
 Jurisprudentiam, in Græca  
 quoq; lingua plurimū studi,  
 operæq; posuerat, melioris  
 notæ Authores & editiones,  
 librorum de omnis generis  
 disciplinis & artibus sibi com-  
 paraverit, nihil ulli vel sum-  
 tui vel labori parcens, quòd-  
 q; hoc egerit non ostentatio-  
 nis causâ, aut ut doctus vide-  
 retur potiùs, quàm esset, sed  
 ad usum luculentum, & ut  
 perdius in libris ac pernox  
 habitaret.

Cujus Bibliothecæ inæsti-

ma-



mabilis reliquias, id est, libros non solum excusos, sed & manuscriptos multò plures, maximè Græcos, Sanctorum Patrum Basilii & Nazianzeni epistolas, capita gnostica Nili, quædam Johannis Damasceni & Maximi Confessoris, vitas Philosophorum à Diogene Laertio conscriptas, Euclidem Græcum, Claudii Ptolomæi de Geographia labores, &c. quos, inquam, libros quid dicam nos in hac Urbe habere? immò habuimus.

Floruit eodem tempore CHRISTOPHORVS SCHEVRLE, Jurisconsultus, Reipublicæ hujus Varro & commune Oraculum, qui etiam Luthe- ro in honore & precio fuit. Is,



Pirkameri exemplo provocatus, id operam, dedit, ut, quam primùm libri elegantiores prodiissent, quovis etiam vel maximo sumtu illis potiretur. Atque sic Bibliothecam sibi struxit amplissimam, ipse quoque βιβλιοθήκη πρὸ ἐμψυχῶ καὶ πειπατῶν Μεσσηϊον, quod de Longino Eunapius olim affirmavit.

Ceterùm ut ad rem propiùs accedam, videte mihi Nobilissimos Ecclesiæ hujus Noricæ & Scholarum Ephoros.

Primus erat, post Reformationem Evangelicam, Dominus Hieronymus Baumgartnerus, Senatus Ornamentum & literarũ bonarũ Sol quidam.

Sicut



Sicut enim Sole oriente lucē  
& vires, succum & spiritum  
consequuntur res, quæ in Or-  
be sunt, ita *Baumgartnero* in  
Patrum ordinem cooptato,  
animam, vitamq; recuperare  
etiam bonæ literæ, literatiq;  
videbantur.

Amicis usus est *Luthero*,  
*Philippo Melanchthone*, *Ca-*  
*merario* & cæteris Viris Pal-  
ladiis, qui quo animo in eum  
essent, testabantur mœrore  
suo, cùm ab latronibus inter-  
ceptus, & in diversis latebris  
abditus, diu vexaretur. Ita  
enim *Philippus* ad *Camerari-*  
*um*: Ad vulnus, inquit, quod  
domestica mihi calamitas fe-  
cit, accessit alterum, *Hierony-*  
*mo Baumgartnero* capto, quem



multis de causis *verè* & ex animo dilexi. Quem enim ullâ in Civitate Virum meliùs meritum de suâ Republicâ, de Ecclesiâ, de studiis literarum, aut magis ornatum domesticis virtutibus nominare possumus? Non possum igitur non vehementer dolere, talem & Virum & Amicum in tantum discrimen venisse. Hæc ille.

Liberatus verò *Baumgartnerus* cùm ad curas publicas, tum etiam ad Bibliothecam suam, omni genere librorum refertissimam, rediit, qui annis sequentibus in Bibliothecæ publicæ incrementum, cesserunt, ut in loco dicam.

Atque his libris, haustæ-  
que



DE BIBLIOTHECÆ STRVCTOR. 17

que ex iisdem Pietati ac eruditioni, magnam partem debebatur Decretum de Confessione in Comitibus Augustanis à nostratibus edendâ. Etsi enim ipse *Baumgartnerus* Augustam eo tempore non venit; domi tamen adversus superiorum seculorû errores, ad fidei veræ constantiam, animos aliorum omni studio præparavit.

Sed & hoc animadvertite, quòd Scholis & Ecclesiis præfectus, statim de initiis Bibliothecæ alicujus publicæ seriò cogitare cœperit. Itaque libros ex Cœnobiis translatos primùm in Muséo Ægidiano, (quod jam Auditorium nominant) deinde in Monasterio



rio Prædicatorum, loco valde idoneo quidem, sed angustiore, locari iussit, cuius rei testes hodieq; in manu sunt Catalogi quidam, plus satis docentes, Bibliothecæ Noribergensis incunabula *Baumgartnero* accepta ferenda esse.

Et vel ex eo immortale nomen indeptus est, quòd ad templum contiguum thesauros illos deponere amaverit, nempe in morem veterum, qui, ut studia redderent ornatiore, librosq; facerent commendabiliore, utq; doctorum hominum cultum, & venerationem augerent, ut denique literas rem *sacram* esse ostenderent, Bibliothecis

NON



non alibi, quàm in DEORUM  
suorum immortalium tem-  
plis locum dabant.

Successit Baumgartnero  
Dn. JOACHIMUS HALLE-  
RUS, literis bonis addictissi-  
mus, qui nihil magis Senato-  
rem decere ajebat, quàm illa-  
rum cognitionem. Et id qui-  
dem ajebat verissimè. Quem-  
admodum enim antiqui Scri-  
ptores Numinibus suis alii  
alia tribuerunt arma, Miner-  
væ galeam, Neptuno triden-  
tem, sagittas Apollini, ita pru-  
dentes vitæ humanæ censo-  
res ab aliis alias, quibus præ-  
diti esse debeant, virtutes exi-  
gunt, à Senatore cum primis  
*Pietatem & eruditionem.* Mul-  
tum enim scire eum oportet,



qui omnibus debet prodesse.

Longè sanè abludit iudicium hoc ab iustissima Brassicani querelâ : Videmus, inquit, quàm ingenia feliciora à literis abhorreant & (quod invitus, verè tamen dico) quàm in Germaniæ quibusdam amplissimis etiam Urbibus hoc sit Germanum, *litteras odisse* : hoc sit, esse Prudentissimum Senatorem, studia semel omnia damnare, hoc sit, compositæ vitæ civem esse, literatos contemnere, hæc denique sit optimè constituta Respublica, in qua minus sit literarum & literatorum.

*Hallerus* verò is erat, quem diximus, id est, cultioris literaturæ perquam studiosus & eru-

eru-



eruditorum Patronus eximi-  
us.

Eo piè defuncto, o-  
mnium votis subrogatus est  
Dn. HIERONYMUS BAUMGART-  
NERUS, ut Patri cognominis,  
ita hæres bonorum & digni-  
tatum, qui merita paterna, si  
non superavit, æquavit tamè  
& illustravit. Nō satis illi erat,  
in medium consulere, ut ad  
provehenda literarum, stu-  
dia, Gymnasium Altorfii, æ-  
dificiis necessariis magnificè  
structis & Viris doctis libera-  
liter illucevocatis, constitue-  
retur, triennio pòst, quàm  
hæc acta erant, *Privilegiis Aca-*  
*demicis* ab Imperatore Ru-  
dolpho condecoratum:

Sed etiam necessum esse

B 7

sta-



statuebat, fundamenta Bibliothecæ publicæ à Parente feliciter jacta, porrò stabilire & augere: cùm hæc illi sollicitudo inter privatos quoq; libros enata esset, quos oculis suis cariores habuit, & prope modum universos suâ consignavit manu, addito disticho, ad insignia alludente:

*Qui volucres pascis, Pater, &  
qui lilia vestis,  
Corporis atq; animi sit Tibi cura  
mei.*

O excelsam & prædicandam omnibus seculis mentem! (ita de eo olim *Scipio Gentilis*) Cur enim magis, inquit, aut *Marci Catonis* discendi studium prædicetur, qui in *Senatum* sic manè veniebat,

ut



ut librum semper aliquem  
 secum ferens, dum Patres  
 conscripti convenirent, avi-  
 dissimè legeret? aut Alphon-  
 si Regis Virtus, quem tradunt  
 nullum diem præterlabi pas-  
 sum, etiam in Castris atq; ex-  
 peditione, quin aliquid in  
 Caji Cæsaris Commentariis  
 perlegeret.

*Baumgartnerus* certè libro-  
 rum curam nunquam depo-  
 suit, sed ex Senatu vix domũ  
 reversus, ita ad Bibliothecam  
 properavit, ut absens eam de-  
 siderasse videretur. Semper  
 lectitabat aliquid, etiam in  
 summis assiduissq; Reipubli-  
 cæ occupationibus & miserè  
 afflictâ valetudine: Quod ut  
 commodiùs aliquantò face-  
 re



re posset, lectulum, (in quo morbus eum affixum tenebat) Bibliothecæ suæ sic applicaverat, ut contingeret.

Quid igitur ejus in exorandâ Urbis Bibliothecâ studium, quid votum de libris suis in eam aliquando transferendis miremur?

Nunc ad Successorem  
Dn. *BARTHOLOMÆUM*  
*PÖMERUM* transeo, cui quidem magnum quid ac sublimē erat, in publicâ rerum administratione versari, sed maximum tamen, Scholas Ecclesiam & Reipublicæ libros curare, quorum custodem perhibent eo tempore fuisse D. Gerbelium, hominem eruditissimum, gratula-  
tum



tum sibi sæpius, quòd Bibliothecam Medicam Doctoris *Palme* ad Publicam illam viderit accedere, manumq; auxiliarem Dn. *FULII G. EVDERI*, studiorum Mecœnatis magnifici, in hoc librario negotio senserit.

Ubi, dum *Geuderi* mentionem injicio, si vela pandere & ut Poëta ait, classibus austros dare vellem, in mare vastissimum inveherer. Nunc verò in portu sistendum est.

Sub Domini *MARTINI HALLERI*, Viri eminentissimi, ἐφορῆς, idem ille Gerbelius, pro amplificandâ Bibliotheca & coëmendis bonorum Authorum scriptis, Consilia exquisitissima & optima dedit,



dit, eventu non sequiore ;  
quamvis anno æræ Christianæ  
post millesimum, sexcen-  
tesimo quarto, ita flagitante  
rerum suarum conditione,  
aliò concesserit: cujus perso-  
nam mox induit & magna  
cum laude gessit Jureconsul-  
tus & Poëta Clarissimus Bern-  
hardus Prætorius, quo tum  
nemo curæ huic aptior erat.  
Nam sicut privatim libros si-  
bi collegerat benè multos,  
partim ab amicis donatos,  
partim studio & impendio  
proprio conquisitos, ita locu-  
pletandæ Bibliothecæ publi-  
cæ mirâ sollicitudine urge-  
batur.

Decretum Senatus cum  
impetrâset, quo annui sum-  
cus



tus ad novos libros compa-  
randos ex Monasteriorum Di-  
væ Claræ & Catharinæ ratio-  
nibus designarentur, pro  
DEVM immortalem, quæ vo-  
luptas eum incessit? quod  
gaudium? Sic intra breve  
temporis spacium maximam  
librorū vim contraxit, quo-  
rum precium singulis annis  
trecentorum florenorum  
summam excedebat. Author  
etiam & suavor laudatissimo  
Magistratui fuit, ut libri Jo-  
hannis Schelhameri & Henri-  
ci Fabricii, Theologorum,  
publici usus & juris publicæ  
impensâ fierent.

Et verò in magna felici-  
tatis parte posuit, quòd hæc  
sua officia in Magnifici Do-  
mini





mini *GEORGII VOLCAME-  
RI* ætatem incidissent, cujus  
Viri tam multa in Rempubli-  
cam, in Ecclesiam & Scholas  
fuere merita, ut neque nu-  
merare ea, neque æstimare  
possimus. Quis enim illo do-  
ctior? quis incorruptior?  
quis in gratificando huma-  
nior? quis denique in benè  
de Viris literatis merendo pa-  
rator erat? Addo: in feren-  
dis sententiis quis eo fuit  
promptior? quis in omni ne-  
gocio, quid locus, quid tem-  
pus, quid rei ratio postularet,  
circumspectior? Quàm sæpè  
in medium aliquid propone-  
bat, ut Doctorum sententias  
vel exploraret, vel ipse, quid  
sentiret, adductis fundamen-  
tis

DE  
tis  
eui  
re  
no  
var  
ru  
an  
ria  
m  
bl  
Se  
ac  
er  
at  
b  
ip  
p  
ju  
P



tis exponeret? Quis famâ  
eum cognovit, qui non vide-  
re discuperet? Quis vidit, qui  
non stuperet, amaret, obser-  
varet?

Quamobrem minimè mi-  
rum videri debet, quòd è tam  
amplâ segete gloriae ac mate-  
ria laudum, etiam hanc sibi  
meruit, quâ *Locupletator Bi-*  
*bliothecæ Urbis* diceretur. Nam  
Senatusconsultum illud de  
accumulandis libris publicis,  
enixè assererat & suâ faciebat  
authoritate, ut Doctoris Ga-  
brielis Mörderi & Prætorii  
ipsius Bibliothecæ, maximam  
partem Publicæ nostræ ad-  
jungerentur.

Etenim ex humanis jam  
Prætorius excefferat, in cuius  
lo-

ME-  
cujus  
ubli-  
nolas  
nu-  
nare  
do-  
ior?  
ma-  
benè  
opa-  
ren-  
fuit  
i ne-  
tem-  
aret,  
sæpè  
one-  
ntias  
quid  
nen-  
tis



locum Christophorus Reich  
 afficitus fuit, Demetrio Pha-  
 leraeo non absimilis, si studi-  
 um & operæ, quas ad Biblio-  
 thecam Reipublicæ contulit,  
 probè expendantur. Rem  
 enim egit officiosissimè par-  
 tim sub incomparabilis, quæ  
 dixi, *Volcameri* Patrocinio,  
 partim verò post luctuosum  
 ejus obitū, Successore Domi-  
 no *LEONHARDO GRVND-  
 HERRO*, quem Virum non  
 aliter decantare possum, nisi  
 ut omnem laudationem me-  
 am imparem ipsi fatear. Et  
 nemo est vestrum, qui tanti  
 Senatoris magnanimitatem,  
 si novit, non sic admiratus:  
 nemo, qui, si nostro arbitrio  
 fata irent, ex animo dicturus

NON



non fuerit, eum unà cum  
*Volcamero* in hanc vitam esse  
 revocandum.

Cæterùm cumulatè jactu-  
 rã refarciit DEUS, ubi Tu, Ma-  
 gnifice Domine FÛRERE, in  
 relictã defunctorum officia,  
 allectus es. Nam quod de ævo  
 suo Philosophus: Non parvi,  
 inquit, sed magnoperè, imò  
 omnino refert, utrum sic, an  
 secus statim à Puerò assuefias;  
 hoc ad educationem tui refe-  
 rimus. Cùm enim ætatem  
 primam assiduis in literarum  
 studio vigiliis egisses, facile  
 didicisti, veræ Nobilitatis,  
 quæ in solidâ eruditione &  
 virtute consistit, custodes  
 & Magistros esse monetæ pu-  
 rioris Libros atque Bibliothe-  
 cas.



cas. His multâ animi propensione adeò favisti *Senator novitius*, ut nemo Te frequentius ad Bibliothecam Urbis ventitaret, nemo plures ex eadē contemplaretur & evolveret Authores, nemo consiliis Bibliothecarium magis juvaret.

Neque etiam cū Ecclesiæ & Scholarum *ἡγοφείς* constituereris, amor tuus, sive potiùs illa, ut ita dicam, in literas & libros pertinacia vel tantillum remittebat. Gestiebas insigni præ gaudio, quòd jam antè Senatus inclutus decrevisset, ut locus & ædes Bibliothecæ amplificarentur. Hic Tu, Nobilissime Vir, quod coeptum erat ab Antecessore, dexterrimè consummasti,



mâsti, Reichio illo & viris e-  
ruditis aliis ministrantibus.  
Tuo auspicio libri ad unum  
omnes numerati & notati  
sunt, insertis Herelianorum,  
Philippi Camerarii & aliorum  
libris privatis. Tuo jussu, ar-  
maria, à Cicerone pegmata,  
vocata, erecta: Tuo nutu fo-  
ruli, sive, ut Seneca vocat, di-  
stincta loculamenta fabrefa-  
cta, & elegantibus monosti-  
chis exornata: Breviter, o-  
mnia Te Authore in elegan-  
tiores formam, ditioresq;  
structuram redacta sunt.

Equidem divite librorum  
supellectile domi Te gaudere  
scimus; Sed majus hoc ducis,  
quòd splendidissima, Urbis  
Bibliotheca sui Restaurato-

C

rem



rem Te agnoscit, & quòd adi-  
tum ad eam liberum. Viris  
bonis patefecisti, memor ver-  
borum, quæ ex Romano Sa-  
piente Lipsius olim dictavit:  
Quid sunt Bibliothecæ, si so-  
læ, aut rarus adventor? Si ho-  
mines, inquam, non sunt, qui  
frequentent, aut evolvant,  
quò ista librorum congeries?  
& quid, nisi studiosa quædam  
luxuria sunt?

De SIXTO quinto Ponti-  
fice referunt, cum abhinc ali-  
quot retrò annis Bibliothecam  
Vaticanam restituere,  
inque locum insigniorem  
transferre, animum induxif-  
set, quòd in ipso Bibliothecæ  
domicilio, præclarè à se & a-  
liis gesta, emblematis & in-  
scri-



scriptionibus variis repræsentari, atque hinc inde ob oculos poni curaverit.

Sine me, Fürere Magne, sine me hoc impetrare à modestia tuâ, ut ea, quæ sentio, hîc dicam. Si liceret nobis ad Bibliothecæ publicæ parietes & columnas figere imagines & signa, de iis, quæ, Te Ecclesiæ Præfecto, in bonum ejusdem peracta sunt, quot, quæso, inscriptiones apparerent legentibus? quàm varia emblemata circumquaq; refulgerent?

In Vaticanâ illa inventor Carminis & compositor fuit Gulielmus Plancus, Poëta Nobilissimus; In nostrâ talis elegantia architectus salutari



à nobis posset, si viveret, Melchior Rinderus; si, inquam, viveret, Bibliothecarius, ut sub tuo Imperio vixit, vitâ apud nos longiore dignissimus. Sed ævum cum DEO in Coelis agat!

Nos si periculum faceremus interea, sic primùm legeretis:

*Hoc Duce, fundamen positum fuit  
it Ægidiani*

*Gymnasia & tanta semina jacta  
Et a Schola.*

Neq; enim nescii sumus, quot & quàm arduas deliberationes eâ de re nobiscum, sæpe habueris, & quantæ molis fuerit, Gentem illam Museam condere.

Legeretis alterum quoq;:

*Hoc*



*Hoc Duce, Doctores proclamandi  
 ampla potestas  
 parta Palacómæ, publicitusq;  
 data est.*

Quem enim id latet, nisi  
 quem præconia, in promul-  
 gatione privilegiorum Al-  
 torfinorum decantata, fugi-  
 unt?

Legeretis & tertium:

*Hoc Duce, grande nefas ludorum  
 & multa profana*

*exesse è Cætu iussa fuere Sacro.*

Ita est sanè. Nam subla-  
 tâ Mimorum, & gladiato-  
 rum impiâ ac intolerabili li-  
 centiâ, annon in locum suc-  
 cessit sancta καλήχησις? qua nil  
 utilius Urbs vidit, nil saluta-  
 rius flos juventutis nostræ ad-  
 huc sensit. Et detestabilis die-  
 rum



rum feriatorum profanatio  
annon emtoribus & vendi-  
toribus præcisa est? Annon  
publicè mendicantium frau-  
des detectæ, & de pio eleemo-  
synarum usu latæ leges? an-  
non Bacchanaliorum impie-  
tas profligata?

Testes advoco venerabi-  
les Dominos Concionatores,  
Collegas meos, τῆς αὐτοῦ πλάσ καὶ  
αὐτηγόρας, præstita Ecclesiæ be-  
neficia tua summis laudibus  
etiam deinceps & alibi me-  
cum celebraturos. Hic igitur  
desino. Quia enim, præter cæ-  
teras virtutes tuas, ea in Te  
semper excelluit, ut Te laude  
dignum malles, quàm lauda-  
ri; hoc etiam in me peculiare  
beneficium collatum, nunc  
esse



esse arbitrabor, si omnes intelligāt, me de Te dicere maximè voluisse, & potuisse minimè.

Sed & tuorum meritosum elogia in magno illo Musfarum domicilio legeremus, *MAGNIFICE DOMINE GRUNDHERRE,* literarum & librorum amore Antecessoribus tuis non inferior. Sed enim in iis laboribus, in quibus tua exundavit industria, nihil unquam tam optabile fuit Ecclesiæ, quàm quòd conventus sacri, quot mensibus celebrandi, Te urgente, in Senatu decreti sint: quòd item liber Agendorum & Ceremoniarum ejusdem Ecclesiæ nostræ revisus, auctus, typis denuò exscriptus



& liberaliter. distributus; quòd consilio, quantum poteras, & labor., plus penè, quàm poteras, pro Ministris Ecclesiæ excubueris & vigila-  
veris, ut ipsis pecuniæ statis temporibus fideliter nume-  
rarentur: quòd deniq; sub Dominio tuo ingens Biblio-  
thecæ Urbis incrementum, allatum: idque Dn. Cornelio Marci, Affine meo & Fratere carissimo administro, quem honoris causâ, & quòd plurimum illi commodaverit, no-  
mino.

Amasti me quoque, *DOMINE*, & hodieq; amas, scio, non quia id mereor, sed quòd à Te ideò dignus existimer, ne non semper sis humanus.

Quid



Quid igitur agam, tot vinculis Tibi obstrictus, & nunquã futurus solvendo? Nimirum facultatis meæ inopia, in debiti solutione, copiosæ beneficentiæ tuæ præconium est. Fateri enim, æquari debitum nunquam posse, ingens precium debiti est, & grata beneficii redemptio, si nunquam satis sit, quod subinde rependitur.

Alia de aliis virtutibus tuis encomia silentio hîc prætermitto: quia quæ cum curâ & appositè tacentur, magna pars eorum sunt, quæ optimè dicuntur, ut habent verba Belgici Oratoris.

Denique non minora nobis de Te pollicemur, Nobilif-



fime Domine *LVCA FRI-  
DERICE BEHAIM*, Septem-  
Vir & Ecclesiarum, Schola-  
rumq; Ephore Amplissime,  
quos honores, cum incolu-  
mitatis perennantis voto, ex  
animo Tibi gratulamur.

Pater eris nobis in Scho-  
la & Templo laborantibus, ut  
sarta tecta sint, quæ hucusq;  
Optimo publico accepimus,  
utq; sceleribus & flagitiis pas-  
sim grassantibus obviam ea-  
tur, ad quæ gemere non velle,  
est, futuri iudicii metum per-  
didisse.

Alphonsus nobis eris,  
quem perhibent librorum a-  
deò studiosum fuisse, ut u-  
nionibus & margaritis eos  
prætulerit, dederitque militi-  
bus



bus suis mandatum, in dire-  
ptione Urbium si quos libros  
comperissent, ad eum statim  
deferrent: Eris, inquam ille,  
ubi Bibliothecæ publicæ pro-  
pagatione, etiam tuum no-  
men æternitati cōsecraveris.

Nec est, qui dubitet. Post-  
quam enim honestæ Doctri-  
næ flumina hausisti ipse ex li-  
bris; probè nōsti, quanti, Rei-  
publicæ intersit, Bibliote-  
cam non aperire modò, sed  
& augere, auctamq; posteris,  
tanquam peculiarem Urbis  
thesaurum, transmittere; cā-  
demque operâ Civitatis peri-  
cula depellere, ac Reipublicæ  
pestem, & generis humani  
propudia, literarum bona-  
rū & librorum hostes trium-  
phare. C 6 Nam



Nam sicut olim de Republica Spartana Delphicum Oraculum pronunciâsse fertur, tum interituram, cùm pecuniarum amore flagrare inciperet; ita nos de bonis literis affirmare posse videmur, tum interituras in Republica, cùm sordere ei Bibliothecæ cœperint.

Itaque Author nobis monitorque eris, ut Illustrium Scriptorum monumenta, veluti inscitiae præsentissima Pharmaca, diligentissimè Bono Civitatis & colligamus & custodiamus. Atq; sic exemplum, ardoremque posteritas abs Te sumet.

Magna quidem est Miraculorum Mundi celebritas, quæ



quæ tamen omnia opum vanissimam, ostentationem, & profusionem sumtuum, addo & temporis jacturam, præ se tulerunt. Hæ verò eruditionis merces, quas jam laudavimus, longè majus Tibi operæ precium, spondent. Hæ mœniis, turribus, labyrinthis, Piramidibus & columnis superiores, non modò oculos, sed & mentes pascunt. Hæ sunt muti illi Magistri, qui sine dolo, & bile docent. Nulla est doctrina, nulla professio, disciplina nulla, quam non offerant ad se crebrò itantibus. Erudiunt imperitos, solantur mœrentes, erigunt animo dejectos & mi-



râ perfundunt voluptate.

Sed hîc abjungendum  
 censeo, *Auditores Splendidissi-*  
*mi*, cùm jam accepistis, quot  
 & quantorum Ephororum  
 patrocinio Bibliotheca Rei-  
 publicæ ad eam gloriam cre-  
 verit, ut verâ æstimatione  
 fit inter R A R A S: id quod  
 alio tempore demonstratum  
 ibo, si vixero.

Interim nos illorum tali-  
 bus fruimur bonis, divitiis  
 locupletamur, victoriis tri-  
 umphamus. Arbores illi se-  
 culo suo severunt, quæ no-  
 stro & sequentibus profint.  
 Illi clausum ad hanc felicita-  
 tem iter aperuere; nos ingre-  
 dimur. Illi dumetis horri-  
 dam ac plenam salebris viam

com-



DE BIBLIOTHECÆ STRUCTOR. 49

complanârunt : nos sine of-  
fensione incedimus. Illi ma-  
gnificentissimum Sapientiæ  
Domicilium patefecerunt :  
nos penetramus. Illi lautif-  
simas epulas conquiverunt,  
nos opiparè convivamur. Illi  
Theatrū scenasq; ornârunt:  
nos spectatores, & ut *Senatus;*  
*Populusq; Noribergensis* sem-  
per floreat, vigeatq; supplices  
Te veneramur, ò *DEUS Tri-*  
*nune,*

*O tueare VIROS SEPTEM, Magmenta*  
*Senatus,*

*FÜRERVM, GRVNDHERRVM, PöME-*  
*RVM, RIETERVM,*

*HALLERVM, TEZELIADEN, NO-*  
*STRVMq; BEHMÆVM,*

*Cum reliquis, quos his precibus sublimo,*  
*SCHOLARCHIS,*

*Cumq; aliis cunētis Dominante in Corpo-*  
*re Membris.*

*O tueare Urbem hanc, & in hac tua*  
*Templa, Scholasq;*

*inq;*



50 ORATIO PRIOR

*inq̄ Scholis Tēplisq̄, pios, fidosq̄, Ministros!*

*O tueare, DEVS, cum Privis Publica  
nostra*

*Omnia. Dum totum fervere tot ignibus  
Orbem*

*Cernimus, omne malum pellas, Pacemq̄,  
redones,*

*qua recreante tui vigeat sub Numinis  
umbrâ,*

*donec ad æternæ Pacis veniamus hono-  
res.*

DIXI.



ORA-



nistros!  
Publica  
ignibus  
pacemq;  
luminis  
s hono-

# ORATIO POSTERIOR.

RA-





*Inscriptio*  
Bibliothecæ.

D. O. M. S.

**I**llustris cura, studioq; favēte Senatus,  
Heic habitant Musæ, Pallas, Hy-  
geia, Themis:

Et Dea, Lux veri: & Reverentia Numi-  
nis. Hospes

Pasce volens licitis mentem, oculosq;  
modis:

Ast unguis cohibe: Rhamnusia non  
procul, & quæ

Supremū claudit Mortis imago locū.

*Alteræ.*

**P**ulchra quidem res est, Mundi sapientia  
Mundo,

Atq; suæ Charites concitantur opes:  
Vna sed ante omnes omnis sapientia Cælo

Regnat, & eximium est, quicquid O-  
lympus habet.

SAN-



I. F. P. Q.

**S**AVBERTVS ILLE NOSTER, ut cœpit  
gazarum librorum Noricas ostendere: (bene  
sic perget ipsas amplius proponere;  
micantis hora cras secunda ut venerit  
meridiei, prosperante Numine.

Oratione luculenta maximè  
edisferet celebrium cimelia  
Virum; quibus funesta dira spicula  
à se propulsarunt necis longissimè,  
et vindicarunt nomen à rubigine.

Caduca dona sortis arbitraria;  
quæ sola vulgus credit, et vocat bona,  
puncto fugacis colliquescunt temporis:  
sed fama sempiterna gliscit è libris,  
animi velut pulcerrimis è liberis,

Fugat voluptas; tamq̃ velox usus est  
rerum suaviuum, levis quàm sensus est.  
Ut herba solstitialis occidit repens:  
sic fluxa pravi gaudii seges perit:  
at eruditi fama Scriptoris manet.


Vos ERVDITIONIS ergò PRÆSIDES,  
Magni Patroni, PATRIÆ chari PATRES,  
Vos, qui politas literas tuemini  
colitisq̃; promptos Nestori Vos sistite.  
Perire tempus omne Vobis credite,  
quod, si licet, non artibus bonis datur.

IOHANNES MICHAEL  
DILHERRUS.

P. P. Norimberga, XIV.  
Sept. clc̃lcc̃XLIII.

Σὺν





Σὺν Θεῷ

**D**Ræclarè Sapiens RO-  
MANUS & veluti ex  
tripode : Paucis, in-  
quit, natus est, qui populū æ-  
tatis suæ cogitat. Multa anno-  
rū millia, multa populorum  
supervenient. Ad illa respice.  
Etiam si omnibus tecum vi-  
ventibus silentium livor in-  
dixerit, venient, qui sine of-  
fensâ, sine gratiâ judicent. Ita  
ille olim.

Ita ego hodie de instituto  
meo, *AVDITORES OPTI-  
MI, MAXIMI*, sed debitâ ta-  
men animi submissione, spe-  
ro, & ad tribunal posteritatis  
provoco : postquam, cœpi  
nuper,



nuper, egregiam Inclutæ hu-  
jus Reipublicæ *Bibliothecam*  
non tam nostro, quàm futu-  
ris seculis, si quæ fuerint,  
commendare:

Ubi ordo postulare vide-  
batur, ut ante omnia Funda-  
menti rationes exponerem  
& Structores Magnificos iis  
laudibus, quibus par erat, ef-  
ferre conarer. Itaque egi,  
quod potui, non ut palpum  
optimè meritis & merenti-  
bus obtruderem, sed profes-  
sionis meæ, officiiq; causâ, ne  
alii nescirent, quantam illi  
gloriam virtutibus suis con-  
ciliâssent.

Quia verò non tam benè  
cum rebus humanis agitur,  
ut meliora omnibus place-  
ant:



ant: facili animo unius, alteriusq; spicula feram, quibus in adulationis suspicionem detrudere me laborârunt, fortè causam ex Ulyssè Homericò mutuati:

δύσζηλα γάρ τε εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ  
φῦλ' ἀνθρώπων:

Suspiciosum enim in terrâ genus hominum sumus.

Fateor sanè, seipsum laudare, stultitiæ, alios privatim & in faciem laudare, adulationis argumentum esse; At verò in Panegyri, locoq; publico Patronos laude dignos, absentes, præsentésq; à Clientibus ingenuis laudari impunè posse, fungus est, qui non intelligat, infanus, qui neget. Interea linguarum malevolâ-  
larum



larum flabra si non frangere possumus, flectantur tamen, oportet. Ut enim (quod Lipsius dixit) culicem moleste circumstrepentem levi manu & sine irâ dispellimus, ita liceat & deceat in iis, qui innoxiam quietem nostram turbant.

Pergo igitur ad dissolvendum as alienum, nuperâ obligatione contractum, id est, ea, quæ in Bibliothecâ Urbis rariora & cariora habentur, Vobis breviter designare cogito, spe fretus ingenti, fore omnino, ut solitam attentionem & benevolentiam vestram mihi, fidem apud Vos liberaturo, ne denegetis. Sic enim per communia  
hæc



hæc Sacra humiliter. & enixè  
Vos rogo atque obtestor.

Ostensurus autem Vobis,  
in præsentiarum Inclutæ Rei-  
publicæ κέρως Ἀμαλθείας, (cur  
enim hoc nomine non ap-  
pellem divitem istum The-  
saurum, multa librorum,  
Millia continentem?) situs,  
ordinisq; rationem habebō,  
quàm possum, diligentissi-  
mam. Ædificium ipsum ut  
Ambulacris quatuor. con-  
stat, formâ quadrangulari; ita  
ab omni parte libros confer-  
tim exhibet.

Intrantibus enim per ja-  
nuam, quæ Occidentem spe-  
ctat, statim in conspectum  
veniunt FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ libri; quòd  
ea non

ea non  
prima



theca  
ubi ar  
nihil i  
affectu



ea non dignitate, sed ordine  
prima sit & à discentiũ men-



AMBU  
QUAT  
BIBLIC

theca κειρ. nobis suppeditat:  
ubi ante omnia monendum,  
nihil in hoc orbe sublunari  
affectum, simul & semel con-

D fici,





hæc Sacra humiliter. & enixè  
Vos rogo atque obtestor.

Ostenfunde

i

p

e

p

fa

M

o

q

m

A

sta

ab

tin



nuam, quæ Occidentem spe-  
ctat, statim in conspectum  
veniunt. FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ libri; quòd  
ea non



ea non dignitate, sed ordine  
prima sit & à discentiũ men-  
tibus removeat caliginem, ut  
prima media & ultima rectiũs  
videant, Ænea Sylvio teste.

Antequam verò progre-  
diar; si de Typographis híc  
*à mō Jueas* aliquid intersper-  
gam, nihil insolens, aut in-  
commodum fecero. Etenim  
de Typographiæ inventione  
& primo partu lis fuit haete-  
nus inter doctos, quorum alii  
locum, tempus alii, quidam  
Authorem in dubium vocâ-  
runt. Salva tamen res est ex  
iis fundamentis, quæ Biblio-  
theca Reip. nobis suppeditat:  
ubi ante omnia monendum,  
nihil in hoc orbe sublunari  
affectum, simul & semel con-  
D fici,



fici, multò minùs perfici posse. Detur opus, machina, aut moles, quæ non crebras artificum manus experiatur: quæ non per initia paullò rudior, postea cum temporis accessione & solerti hominum indagine concinnior fiat, ac suo modo perfectior, ut rectè notat Becmannus.

Eadem Typographiæ nascentis conditio fuit. Et hinc illud ἀμφισβητήσιμον ortum, num volumen reperire aliquod liceat, anno post millesimum, quadringentesimo quinquagesimo primo, secundo, tertio, aut proximis, arte Chalcographicâ expeditum? Dico ego non tribus, quod ajunt, verbis, sed uno,

NUL-



*NULLVM.* Nullum, inquam, Volumen, licet in pagellis nonnullis prima characterum impressorum specimina Moguntiaë edita sint.

Ex antiquis verò quibusdam codicibus, Authoritate Cæsareâ munitis, totam historiam in hanc summam conferre libet.

*Johannes Fusth*, aliàs *Faust*, civis Moguntinus ex se, suaq; sponte speculari coepit artis illius principia, anno à Nativitate Christi, quadringentesimo quinquagesimo, *Fride-rico* tertio Romanorum Imperatore: quo ipso tempore famulus ei obtigit, *Johannes Guttenbergius*, qui eadem animo jam voverat. Hinc con-



firmatior redditus Faustus, nō  
abs re esse cogitata sua intel-  
lexit. Itaque ad ἐπιδοσιν, sed te-  
studineo tamen gradu, acces-  
sit, donec tandem anno quin-  
quagesimo secundo, Alpha-  
beti totius typos non effinxe-  
rit modò, sed & in eum nu-  
merum auxerit, quo verba  
integra exprimi possent. Atq;  
hîc opuserat aliorum quoq;  
operis. Clam igitur Faustus  
laborum societatem cum Pe-  
tro Schöffero, ministro suo,  
coïvit, quem etiam (cùm fi-  
dem & industriam suam He-  
ro abundè probâsset) & ad-  
optavit, & generum sibi de-  
legit. Cæteri familiares, fa-  
mulique, secretò artis hujus  
conscii, silentii fidem jureju-  
ran-



rando illis duobus dederunt  
& servârunt quoq; tantisper,  
dum anno sexagesimo secun-  
cto in diversas regiones dila-  
berentur, Arcana ea omnia  
passim revelantes. Ita res ipsa  
habet, sed verbis horridulis,  
à nobis paullùm mitigatis.

Redeat nunc, unde pau-  
lisper aberravit, Oratio. Qui  
igitur disciplinis Mathemati-  
cis, Astronomiæ, Astrologiæ,  
Geographiæ & Geometriæ  
operantur, facilè hîc reperi-  
ent, quòd magnopere demi-  
rentur. Ut enim Cichi Escu-  
lani commentariorum, de  
Sphæra, librorum Mefséhélá-  
chi & Massáhálæ, tabularum  
Abrahami Zacuti, operumq;  
Regiomontani omnium &

D 3

alio-





aliorum plurimorum raras editiones taceam : in membranis descripta videbunt Professionis suæ Ornamenta, Albionis instrumentum Mathematicum & Geometricum, Albategni Commentarios, Archimedes Græcum de Sphæra & Cylindro, Alfragani differentias, tabulas Johannis de Blanchinis, tractatum de Accidentibus Mundi Johannis de Eschinde, Geometriam Euclidis, Julii Firmici libros, Cosmographiam Ptolomæi, manu ipsius Trapezuntii, ut videtur, correctam, & quis cætera in hac circumscripti temporis brevitate recenscat?

Atque huc referendus est

Aba-



Abacus ligneus, quem si leuiter aspicias, ne teruntio quidem aestimaveris, ubi accesseris propius, auro contrà carum dices, & dolebis forsan, non in auro, argento ve puro, sed in ligno vilissimo tam subtiliter, tam eleganti manu Chronologiam totiùs veteris Testamenti accuratissimam repræsentari.

Nec minùs operæ precium est, eximiam hanc Artificis industriã dilaudare, quàm quò ante annos aliquot Laurentius Pignorius Mensam Jsiacam publicè decantavit. Cùm enim Vincentius, Mantuæ Dux, inter insignia alia Antiquitatis Monumenta, Mensam, ex Petri Bembi, Cardina-



dinalis, Muséo translata, domi haberet, Philologiae Cultores illuc non accurrerunt modò, ut viderent, sed & varias suas attulere interpretationes, donec Pignorius, hortante Marco Velsero, utramque faceret paginam & quaestionem illam, utrum Osiris fuerit Isis maritus, an frater, vel filius? prolixè decideret. (Diodorus enim maritum, Plutarchus fratrem & maritum, Lactantius & Minucius Felix filium, Eusebius maritum, fratrem & filium fuisse, scripserant.)

Quid verò attinebat, rei isti tam anxie insudare? cum intra aniles Ethnicorum fabulas & inanes Ægyptiorum  
su-



superstitiones tota consisteret, quas nemo Christianus, nisi cum stomacho, aut risu, legat. Longè plura, longeq; majora commoda ex Abaco nostro ligneo haurient rerum intelligentes.

Deprehendent quoque Globos raræ, miræq; magnitudinis, cœlestem, unum, & duos terrestres, non æri incisos, non typhetarum characteribus insignitos, sed doctissimorum hominum manibus scriptos, quorum similes in toto Germania non apparent, ut itinerum variorum experti seriò, sæpiusque affirmarunt.

Præterea rerum Naturæ Consulti, itemque Metaphysicæ



sica & Logica, aliarumq; Ar-  
 tium Amasii si hujus sui Ordini  
 Manuscripta requirent, videbunt  
 Librum de Natura rerum, & alterum  
 de Anima, ejusque Actionibus,  
 utrumq; ineditum, Avicennæ  
 Metaphysica & Canones, Opus  
 Philologicum Remspergeri,  
 nondum excusum, Alberti Magni  
 opera, in plures tomos distributa,  
 quæstiones Logicas Bartholomæi  
 de Brugis, nondum vulgatas,  
 Dictionarium Morale Petri Berthoni,  
 Senecæ epistolas, Grammaticam  
 Theodori Gazæ Græcam *αὐτογραφήν*,  
 Cicero- nis Rhetoricam & Officia. Ad-  
 do Poëtas Manuscriptos, Ho-  
 merum integrum, Sophoclem,



clem, Pindarum, Hesiodum,  
 Æschilum, omnes & singu-  
 loselegantissimæ scriptio-  
 nis, Catonem cum interpreta-  
 mentis, Horatium, Juvena-  
 lem, Virgilium Ovidium,  
 alios: ubi locum quoque ho-  
 norificum Conradi Celtis &  
 Eobani Hessi manus mere-  
 tur.

Aristotelis opera peculiari-  
 ter in Philosophorū gratiam  
 hinc noto, quia & χειρόγραφα  
 quoque sunt, & vetustissimis  
 commentariis ac versione il-  
 lustrata. Nugas me agere si  
 quis existimat, quòd anti-  
 quam textuum Aristotelico-  
 rum versionem, commen-  
 dem, audiatis, quæso, Andre-  
 am Chioccum, Italiae Medi-



cum Clarissimum : Profectò  
longè meliùs, inquit, conver-  
sio vetus, ad verbum facta,  
mentem Aristotelis & Theo-  
phraستي refert, quàm hujus-  
modi eruditorum, nullo suc-  
co seriæ doctrinæ imbuto-  
rum, ambitiosa sedulitas, qua  
orationi, solum Latinæ elabo-  
randæ, operam dant, genui-  
nam verborum significatio-  
nem & vim floccifacientes.  
Atque in hoc vitium, quod  
κακοζηλίαν literariam meritò  
appellaveris, Joachimus Pe-  
rionius & Bernardinus Do-  
natus incurrerunt: hic, dum  
quæstiones quasdam Platonis  
convertit & germanas Au-  
thoris voces, quæ propriæ  
sunt disciplinæ, Ciceronis  
Phra-



Phrasibus, anxie conquisitis,  
& veluti torno elaboratis, ex-  
primere satagit: ille pariter,  
dum moralem, Philosophi  
doctrinam vertit. Sic ille

Nec est, ut silentio hic in-  
volvam Theonis Commen-  
tariū in Syntaxin Ptolomæi,  
Græcè scriptum, antiquitatis  
δειγμα præclarum, quod à Bes-  
saronne Joannes Regionōta-  
nus dono se accepisse manu  
suâ testatur, ad ipsius Bessa-  
rionis præscriptionem αὐτό-  
γραφον talem: Ἐ θεῶν ὁ εἰς τὴν  
Πτολωμαίαν σύνταξιν βιβλῶν ἑμῶν  
βησαρίων ὁ καρδινάλες Ἐ  
τῶν Τροσκωλώνων, id est, Theo-  
nis in Ptolomæi Syntaxin Li-  
ber meus Bessarionis Cardi-  
nalis Tusculani.



Sed enim hæc ex Græcia  
olim in Italiam, ex Italiâ ad  
nos in Germaniam transiisse,  
in lucro deputandum est: &  
magnificianda simul primo-  
rum seculorum Membrana  
quædam, qualem Josephus  
libro duodecimo Antiqui-  
tatum describere videtur, ubi  
de septuaginta interpretibus,  
ad Regem Philadelphum mis-  
sis, agit. Cùm ostenderent,  
inquit, tenuitatem Membra-  
næ, Rex miratus est. Miramur  
& nos tenuissimam nostram,  
ac in ea sive antiquissimi  
Commentatoris, sive ipsius  
Claudii Ptolomæi manu du-  
ctas figuras: Et hîc Varronis  
error simul liquet, cû mem-  
branas, modumq; in illis scri-  
ptitan-



ptitandi Pergaménos<sup>2</sup> de-  
 mum invenisse credidit; qui-  
 bus tamen & Hebraei, longo  
 tempore antè, & Græci (He-  
 rodototo teste,) usi sunt.

Locus hic postulat, ne in-  
 dictos relinquamus Philippi  
 Melanchthonis, viri ab se no-  
 tissimi, Libellum de Anima &  
 librum Physices, τὸς αὐτογρά-  
 φος, eosq; ipsos, quos tessel-  
 lis suis Typothetæ olim adhi-  
 buerunt, *exemplaria*, more  
 antiquo, vocantes; ut meritò  
 gratiam debeamus illis, qui  
 liquias tales primi collegere,  
 & ab interitu, blattarumque  
 moriunculis vindicârunt.

In precio quoq; Philosophis  
 sit Manus Fortunati Crellii &  
 præfatio, qua laudes in Rem-  
 publi-



publicam istam multas con-  
 gessit, & quanti Aristotelem  
 Majores nostri fecerint, mō-  
 stravit his verbis: cui potius  
 Peripateticæ Familiæ Paren-  
 tem offerrem, quàm hujus  
 Familiæ Fautori & Educatori,  
 Senatui Noribergensi, qui sic-  
 ut literas, ita literatos omnes,  
 & in primis Peripateticos,  
 quod omnes uno ore passim  
 testantur, singulari Amore  
 profecquitur? &c.

Sunt hîc, quæ & Musico-  
 rum mentem voluptate ali-  
 quâ delinire possint, si non  
 modò opera didactica Cleo-  
 nidis, Glareani, Franchini,  
 Froschii & Simonis Brabanti-  
 ni de quercu, sed & opus illud  
 Musicum, ab ipso Principe  
 Mau-



Mauricio, Hassiæ Landgravio, magnam partem concinnatum, & Reipublicæ huic dono datum, illi intueantur.

Sub finem hujus Classis Calepini meminisse lubet, quòd ejus labor ostendat, aliorum avaritiam famam æternam Authoribus parere posse. Conscripserat is librum de vocabulis ad usum privatum. Cùm verò publici juris fecisset, tanti eo tempore æstimatum est nomen, ut illius prætextu Typographi, lucro inhiantes, Nomenclatores quosvis & Dictionaria edere ausi sint, donec liber in amplissimum excreverit volumen, quod hodieq; sub Calepini nomine apparet : Id quod

con-  
telem  
mō-  
otius  
aren-  
ujus  
atori,  
qui sic-  
mnes,  
ticos,  
assim  
nore  
usico-  
te ali-  
non  
Cleo-  
chini,  
banti-  
is illud  
incipie  
Mau-



quod ex editionum, quas habet Bibliotheca, diversitate, & succedaneis libri incrementis, patet clarissimè.

Sed de Philosophis satis multa pro temporis ratione, pro argumenti tamen qualitate non satis.

Pergendum hinc est Meridiem versus, ad *Libros Historicos*, tum recentiores, tum veteres, ubi primas editiones (quas certis de causis enumerō, licet recentiores non desint) Julii Cæsaris, Suetonii, Salustii, Taciti, Diodori Siculi, Laertii, Suidæ, Sabellici, Sigeberti, Appiani, Aretini, Volaterrani & cæterorum comperietis; quibus accensendus *Platinae Liber de Pontifi-*

tificur  
Norib  
præsci



Iolep  
cump  
dam,



tificum Vitis, primùm hîc  
Noribergæ, Authoris ipsius  
præscitu & jussu, excusus :



Iosephi editiones ferè omnes,  
cum primis Germanica quæ-  
dam, literis Hebraicis, quas  
CUR-



quod ex editionum, quas ha-  
bet Bibliotheca, diversitate,  
& succedaneis libri incre-



Volaterrani & cæterorum  
comperietis; quibus accen-  
sendus *Platina* Liber de Pon-  
tifi-



tificum Vitis, primùm hîc Noribergæ, Authoris ipsius præscitu & jussu, excusus: nempe ut foris ille faceret, rei periculum, quod domitum non audebat.

Inter Manuscripta Eusebii Cæsariensis, Egesippus, Josephus de Bello Judaico, liber exemplorum & similitudinum ineditus, Petri Comestoris historia, Conradus Celtes de Urbis Noribergensis Moribus & Statutis, Secundinus de Origine Turcorum, cum aliis quibusdam nondùm vulgatis, eminent.

Hîc offerunt quoque se Iosephi editiones ferè omnes, cum primis Germanica quædam, literis Hebraicis, quas  
cur-

ha-  
ate,  
ere-

um  
ccen-  
Pon-  
tifi-



currentes vocant, adornata,  
cui annumeranda venit Ruf-  
fini, Aquiliensis Presbyteri,  
interpretatio operum Jose-  
phi, quam originalem Medio-  
lani, in sancti Ambrosii Fano  
characteribus Longobardicis  
asservari, Gesnerus scripsit.  
Opera Bergomensis, Petri  
Bizarri, Ariani, Pauli Jovii,  
Æneæ Sylvii & Trithemii ma-  
nuscripta possidere se Vir-  
magnum nominis olim publicè  
gloriabatur. Nos eadem &  
quidem postremorum duo-  
rum *Αὐτογραφα* in promptu  
habere, res ipsa loquitur. Ad-  
jicio opera Bruschi, manu ejus  
ipsius ornata. Quin & per  
magnum referre arbitror, ut Jo-  
hannem Stellam, Scriptorem  
Ve-



Venetum, ex hac Authorum  
nube producam, qui, quòd  
historiam verissimam de A-  
lexandro III. Pontifice, pe-  
dem Collo Friderici Impera-  
toris imponente, ex veteri  
memoria retulisset, in Anna-  
libus Baronii Cardinalis in-  
nocens vapulavit; Cui tamen  
ut in hoc argumento sua cõ-  
staret fides & authoritas, For-  
tunatus Olmus Italus ex anti-  
quissimis Monumentis & Ar-  
chivis fide dignissimis, facti  
veritatem nunc nuper de-  
monstravit solidissimè, ut  
miremur, inveniri potuisse,  
qui tam præfractè, tantaque  
verborum petulantia id ne-  
garent.

Magna quoque hinc illos  
inva-



invadet admiratio, qui videbunt Vaticinium, in membrana anno 1558. Mense Novembri scriptum de iis, quæ nunc demum, annis 1619. 20. 21. 22. 23. &c. 30. 31. 32. 33. 34. & seqq. in IMPERIO ROMANO gesta sunt: quod Folium Sibyllæ curâ summâ custodiendum putamus.

Alia Historicorum Scripta & Annales varios, non modio, quod dicitur, sed ipso horreo, admetiri possemus, quorum plarorumque Vos non usum solùm magno emeritis, sed & visum.

Facultatem *MEDICAM*, quæ superioribus vicina est, spectabilem reddunt, omnis generis Commentarii, obser-



fervationes, methodi, casti-  
 gationes, Lexica, institutio-  
 nes, Loci Communes, histo-  
 riæ anatomica, præcipuè ma-  
 nuscripta, Galeni multa, Cõ-  
 filia Medica & Antidotarium  
 Bartholomæi de Montinano,  
 tractatus Principis de Haloa-  
 liâgen de Medicina Avicen-  
 næ, à Gerhardo Cremonense  
 ex Italico in Latinum con-  
 versus, Marsilius super Scri-  
 pta Avicennæ, Jacobi de Fo-  
 rolivio Commentarius in  
 eundem, Apollonius de se-  
 ctionibus Græcus, Synonyma  
 de universis libris in Medici-  
 na Simonis de Janua & id ge-  
 nus plura, propter quæ Æscu-  
 lapii nepotes vadimonium  
 deserant.

Hic

R  
 i vide-  
 mem-  
 se No-  
 s, quæ  
 19. 20.  
 33. 34.  
 O R O-  
 quod  
 ummâ  
 us.  
 Scri-  
 non  
 ed ipso  
 semus,  
 ue Vos  
 gno e-  
 ICAM,  
 na est,  
 omnis  
 ii, ob-  
 ser-



Hic quoque cernere est  
 notas *αὐτογράφεσ* Doctoris  
 Georgii Forsteri in Galenum,  
 in Alexandrum Trallianum,  
 in Museum, in Constantium  
 Africanum, in Clementium  
 Clementinum, in Arculani  
 opera. Stupebitis quidem u-  
 nius Viri *πολυαγνωσίαν*; sed  
 credite nobis, palmam, &  
 huic & aliis multis PALMA,  
 Medicorum Eximius, prae-  
 ruit.

Galenus equidem & Jo-  
 annes Grammaticus cogno-  
 men sibi à diligentia invene-  
 runt, alter *Φιλόπον*, alter  
*Φιλοπονώτα* dictus. Non abs-  
 re tertium illis adjungimus,  
 Palmam nostrum, apud quē,  
 cūm domi fuit, nulla tempo-  
 ris



ris hora lectione, meditatione nulla, nulla scriptione vacavit. Reliquit nobis voluminum suâ manu scriptorum copiosam segetem, tomos aliquot consiliorum Medicorum & observationum singularium, nondû editarum: praxin Medicinæ, ut eam Noribergæ per annos complures factitavit, Methodum curandi ex ore Casparis Peuceri Wittembergæ olim manu purissimâ exceptam, cum notis in Theophrasti Paracelsi & aliorum libros.

Quibus accedit *αὐτὸς ἔγραψεν* Nicolai Taurelli, methodo prædictionis Medicæ insertum. Accedunt Codices Botanicorum, cum duobus illis,

E

qui



qui florum Eistettensium ex vivo ductas, & colorib<sup>9</sup> aptissimis expressas icones præ se ferunt.

Custodiuntur penes hanc Facultatem Monstrorum, quoq; vestigia quædam, animalium variorū anatomia, vasa aliquot à vanissima Gentilitate sacrificiis destinata, & humanorum Corporum lapides complures, ubi miræ magnitudinis calculos vesicales, ante biennium ex puella quinquenni & puero quatuordecim annos nato exemptos, (quorum sectioni ipse inter fui) cōspicietis, quæ omnine præteriisse viderer., factis habui, hîc attingere.

Nunc ad Amplissimum  
Ju-



Jureconsultorum Ordinem,



de miseria Curialium, Bene-  
ventani ordo judiciarius, Pe-  
tri de Sanson distinctiones  
& alia plurima, quæ recen-  
E 2 sere

m ex  
aptif-  
oræ se  
hanc  
rum  
n, ani-  
omia,  
a Gen-  
nata, &  
um la-  
miræ  
s vesi-  
puella  
quatu-  
exem-  
ipse in-  
omnia  
, facis  
ssimum  
Ju-





qui florum Eistettensium ex  
 ... ..

N. 3.

Pagg. 85, 86.



ter fui) cōspicietis, quæ omnia  
 ne præteriisse viderer., satis  
 habui, hîc attingere.

Nunc ad Amplissimum  
 Ju-



Jureconsultorum Ordinem,  
 Oriētem versus, depropero,  
 ubi è censu nobiliore pluri-  
 ma exhiberi Vobis poterunt,  
 maximè Manuscripta, Codex  
 Juris Civilis, Bartolus & Bal-  
 dus in tomos plures tributi,  
 Antoninus de Butrio, Calde-  
 rini repertorium ad Jus u-  
 trumque, Paulus de Castro,  
 Gotfridus de Grano, Hosti-  
 ensis apparatus, Johannes de  
 Lignavio, Clementina cum  
 apparatu Andrea Bononien-  
 sis, Bonifacii octo Decretalia,  
 Martiniana tabula Decreti &  
 Decretalium, Aeneas Sylvius  
 de miseria Curialium, Bene-  
 ventani ordo judiciarius, Pe-  
 tri de Sanson distinctiones  
 & alia plurima, quæ recen-

OR  
 um ex



æ omnia  
 er., facis  
 olissimum  
 Ju-



sere nimis longum, esset.

Venetis olim index prodiit omnium, ut est inscriptio, librorum in Jure tam Pontificio, quàm Casareo editorum, in quo non solum textus, verum etiam interpretationes, praxes, singularia, decisiones, consilia & alia omnia, ad Jurisprudentiam pertinētia, spectanda proponuntur, Authore Joh. Ziletto, Jureconsulto:

Sed ausim ego fide optimā affirmare, & cum Italis insigni quoque decertare pignore, quod Bibliotheca nostra si minus librorum numero, at certè authorum pondere, illis par sit.

Hoc verò peculiare videtur,



tur, quòd omnium Bibliothecam ad euntium oculos ad se convertat, rapiatq; Juris Civilis castigatissima editio, quam Haloander, Florentinâ, Pisanâ & cæteris pluribus inter se diligentissimè collatis, magno Jurisperitorum bono, in hac Urbe procuravit, dignissima sanè auro illo, quo tomi omnes & singuli fulgent.

Et memini, eximium quendam Juris Doctorem Alciatum quondam dicere, tantam Ordinis sui homines Haloandro debere gratiam, quantam à Theologis Arias Montanus, correctissimâ Bibliorum Hebraicorum editione, iniisset.

Non silebo hîc *αὐτὸς γὰρ*


E 3

Fran-



Francisci Zoanetti & Valentini Forsteri, Jureconsultorum non è multis, quorum hic tres libros Historiæ Juris Civilis, iste tractatum de Romani Imperii Jurisdictione Senatui Nobilissimo nuncupavit.


Ulterius autem, & Septentrionem versus, si gressus movebitis, ad Facultatem Theologicam venitur, cui Imperatrici omnes jam nominatæ fasces submitunt, quæq; & admiratione coli, & silentio prædicari mavult. Est enim admiratio præconium gloriæ, & silentium fidus Majestatis interpretis: Illud tamen dicam; quoquò Vos hîc vertentis, eximii aliquid occurret, quo reficiamini. Af-



quàm  
possic  
Greg  
pluri  
Prosp



N. 4. pag. 88.



maxime lectur, inane se eas,  
 quàm Civitatem Parisiensem,  
 possidere; Opera Bernhardi,  
 Gregorii, Dionysii, Origenis  
 plurima, Damasceni plæraq;  
 Prosperi nonnulla, Nicolaus

E 4 de



Francisci Zooneri &amp; Valen



admiratio præconium glo-  
 riæ, & silentium fidus Majesta-  
 tis interpres : Illud tamen di-  
 cam ; quoquò Vos hîc verte-  
 ritis, eximii aliquid occurret,  
 quo reficiamini. Af-



Asservatur in hoc ordine  
ingens & pene invidendus  
librorum manu exaratorum  
thesaurus, Codices Biblio-  
rum plurimi, Græcorum Li-  
turgia, tempore Apostolis  
proximo ( ut Majores nostri  
judicârunt ) scripta, Opera  
Divi Hieronymi, Augustini  
Opera, duodecim volumini-  
bus comprehensa, Athanasii  
paraphrasis in psalmos, inedi-  
ta, Chrysoptomi homilia va-  
ria, præcipuè in Matthæum,  
de quibus Thomas Aquinas  
dixisse fertur, malle se eas,  
quàm Civitatem Parisiensem,  
possidere; Opera Bernhardi,  
Gregorii, Dionysii, Origenis  
plurima, Damasceni plæraq;  
Prosperi nonnulla, Nicolaus

... glo-  
... ajesta-  
... en di-  
... verte-  
... curret,  
Af-





de Lyra in Vetus & Novum  
Testamentum, Thomæ jam  
dicti Opera, quindecim volu-  
minibus distincta, Glossa or-  
dinaria in sedecim volumini-  
bus, Ecclesiastica historia tri-  
partita multis tomis, Scripta  
Nicolai Cusani, Varia quædã  
Gerfonis, Opera Hugonis Car-  
dinalis, Hugonis de Prato, Hu-  
gonis de Senis, Haimo in Pro-  
phetas minores, Innocentius  
de contentu Mundi, Abbatis  
Joachimi notæ in Apocaly-  
psin tomis duobus, Iohannis  
à Seus horologium Sapien-  
tiæ, nondum typo cufum,  
Alanus de sex alis Cherubim,  
Petri Blesensis volumen con-  
tra perfidiam Judæorum &  
Commentarius in librum Jo-  
bi, Liber Iohannis de Com-  
baco,



baco, consolationes Theolo-  
gicas complectens, Henrici  
de Hassia observationes ad  
Genesin, Ludolphi de Saro  
Vita Christi, Commentarius  
Jacobi Zigleri de conciliis  
*αὐτοῦ α φ θ*, n. e. Samuelis cu-  
jusdam epistolæ ad Judæos, &  
hujusmodi propè infinita.

Quid verò, si quis vetusta  
hæc esse dicat? fateor, esse, sed  
manu tamen scripta, quæ nõ,  
nisi à veræ Sapiëntiæ Candida-  
tis, æstimantur. Manuscriptis  
si consentiant, si à literatis  
sint, multum debemus fidei,  
quibus etiam, ceu spongiâ,  
obscuritatum multarũ for-  
des detergantur, ut ait Scali-  
ger, Vir in miraculum, & ævi  
nostri gloriam, natus. Et ha-

E s

bet

vum  
e jam  
olu-  
a or-  
mini-  
a tri-  
ripta  
uædã  
sCar-  
o, Hu-  
Pro-  
entius  
obatis  
ocaly-  
annis  
pien-  
sum,  
ibim,  
con-  
m &  
m Jo-  
Com-  
baco,



bet sanè sententiæ suæ fundos, subscriptoresq; Viros literatissimos, ut meritò nobis valeant illi, quibus palatum ad tam raræ vetustatis saporem obbrutuit.

Adest quoq; messis optima librorum Hebraicorum, Chaldaicorum, Syriacorum, Æthiopicorum, Dalmaticorum & reliquorum peregrini quoq; idiomatis. Adiunt ipsa etiam *αὐτόγραφα* Hebraica Münsteri, Eliæ Hutteri, Danielis Schvventeri, & aliorum multa. Nec desunt epistolæ manuscriptæ Virorum longè lateq; celebrium Principum, Comitum, Baronum, Pircameri, & Baumgartneri, Lutheri, Philippi, maximo  
nu-



numero, Spalatini, Camera-  
rii, Scheurelii, Hectoris Pō-  
meri, Hornburgii, Casparis  
Nüzeli, Ulrici Hutteni, Ge-  
orgii Pesleri, Pauli Eberi, Viti  
Theodori, Johannis Matthe-  
sii, totis fascibus, Cratonis,  
Lazari Spengleri, Andreæ  
Osiandri, Bezæ, Rudolphi  
Gualtheri, P. Melissi, Johan-  
nis Sturmii, Flacii Illyrici, Sti-  
geli, Frischlini, Francisci Ra-  
phaëlis, Carlstadii, Iohann A-  
gricolæ Islebiensis, Thomæ  
Münzeri, Samuelis Huberi &  
longè plurium:

Quæ omnia cùm non ita  
pridem inspectiùs rimarer, &  
suo quodque loco dispone-  
rem, intervenit, ex Nari-  
scorū agris, Rusticus ille, qui



in Hebræorum lingua, & ejus dialectis, non ἠμυαθῆς est, sed ad stivam & inter labores villicanos, ex fundamento tamen eas didicit, ut Hebraica, Syriaca, Arabica, Chaldaica legat, scribat, intelligat: qui, incertum, an magis librorum nostrorum copiam, quàm nos ingenium ipsius, & tam vile hospitium, animæ elegantis, mirati simus. Certè dignum judicavimus, qui ab aratro, si non ad Dictaturam cum Romano illo, in Scholam tamen publicam evocaretur.

Atque hætenus ambitioso nominum Catalogo Vobis, AUDITORES, obstrepere & vestrâ abuti patientiâ visus fortè sum: Sed deprecor à Vo-





à Vobis veniam opinioni officii, nec possum mihi temperare, quin unum & alterum, pace vestrà, subnectam.

Vixit hîc ante ducentos annos, in Dive Katharinæ Cœnobio, Monacha, *Margareta Cartheuserin*, quæ suâ manu octo volumina Choralis, quâ vocant, Musicæ conscripsit, & picturis. illustravit seculo illi convenientibus, ut videlicet extaret ad posteros inimitabilis industriæ testimonium, quod ex Bibliis quoq; Latinis, ab eâdem eleganter. descriptis, elucet. Et mirum est, quàm oculi intuentium raro hoc unius Virginis labore capiantur.

Nec sine voluptate nostræ



partis homines aspexerint, Lutheri tractatus, Witteberge excusos, nondum tamen sive Jenensibus, sive Wittebergenfibus Tomis insertos.

Picturas & effigies inter Bibliothecarum Ornamenta numerari, nemo inficias ibit, opinor. Cùm enim, Plinio teste, nulla major humanæ vitæ prerogativa sit, quàm unumquemq; scire cupere, qualis aliquãdo fuerit aliquis; facilè est conjicere, Bibliothecas benè constitutas non solum libris, animorum & ingeniorum monumentis, sed & picturis abundare debere, quæ corpora exprimant, & unà cum illis, affectiones, saltem sub nube, indicent.

Qua-



Quapropter, & nostro huic  
 Apollinis atque Musarum  
 Templo gratulamur, quod  
 ex optimorum Artificum  
 manibus effigies Homeri, E-  
 rasmi, Lutheri, Philippi Zasii.  
 Donelli, Palmæ, imò, quod  
 prius dicendum erat, Augu-  
 stissimorum Imperatorum,  
 Regum, Principum, Comi-  
 tum, & Baronum, possideat.

Utinam & superstitum,  
 nobis aliquæ obtingerent su-  
 perioribus attexendæ.

Nec enim probro sit cui-  
 quam, in Bibliotheca publicâ  
 videre seipsum. Nam gravi-  
 ter Chioccus, quem laudavi-  
 mus suprâ, Magnorum Viro-  
 rum, inquit, Paleotti, Velse-  
 ri, Pinelli, aliorumque con-  
 fili-



filium probare non possum, qui se picturâ exprimi viventes deditâ operâ vetuerunt, quasi id vanitati ingenii & ambitioni adscribi deberet. Socrates, qui hoc unum se scire dixit, quòd nihil sciret, cum se in Bibliotheca amici magni & discipuli positum Cerneret: Cur ego, dicebat, in Bibliotheca ponor, cum nihil scripserim? Cui responsum: licet tu nihil scripseris, quod tamen alii scriberent, tu plene & abundè suppeditasti: atq; adeò hoc loco non indignus es. Idem de similibus esto iudicium.

Et verò Antiquitatum atq; elegantiarum Studiosis cognitissimum esse, arbitror.

Ægi-



Ægidium Sadelerum tomos duos Symbolorum Pontificum, Imperatorum, Regumq; ex Museo Octavii de Strada depromptorum, (ut in limine statim legitur) evulgasse: Sed sciant, Octavii de Strada ipsum τὸ πρῶτον in penetralibus nostris, quæ hæctenus commendari audivistis, repositum, & ab hoc ipso Sadeleri illa profecta. Opus est insignè & tripartitum, in quo Vir Clarissimus tum Symbola, tum effigies, suâ ipsius manu, summoq; artificio delineavit, præmissâ dedicatione ad Senatum Urbis hujus Amplissimum, affectus in eum, proluxissimo indice.

Haberem hîc dicere de Catalogo-

um,  
ven-  
ant,  
ii &  
ret.  
m se  
ciret,  
amici  
situm  
ebat,  
cùm  
spon-  
seris,  
rent,  
pedi-  
o non  
simili-  
m atq;  
sis co-  
tror,  
Ægi-



atalogis, quos' haut frustra Draudianorum Complémentum nomina vero: ubi incredibili industriâ connotatos Italorum, Gallorum & Hispanorum libros de variis materiis & argumentis videas', in illis CL. Draudii omisos.

Consultò præterimus alia, ne nimis longâ commemoratione defatigatæ aures, animiq; vestri vel obruantur, vel tædio afficiantur. Pauca verò illa de multis & propè innumerabilibus elegi, quæ dicerem.

Et ex illis ipsis videmini, jam vidisse Bibliothecam, in quâ necessitas, & gloria de principatu contendunt, vidisse Bibliothecam, ubi eruditionis Majorum, notæ, in-



dustriæ vestigia, monumen-  
 ta Prudentiæ & vigiliarum,  
 fructus apparent: Vidisse Bi-  
 bliothecam, in quâ, si libri re-  
 centiores subinde accesserint  
 (ut in complendis Baronii,  
 Aldrovandi, Esthii, Cornelii  
 à Lapide, aliorumq; operibus  
 initium factum) satis causæ  
 nobis est, cur aliis in Germa-  
 nia non admodum inuidea-  
 mus: Vidisse Bibliothecam,  
 cujus beneficio, in hac cæcâ  
 bellorum nube, multiplicis  
 scientiæ fulgor emicat, in  
 densa telorum grandine Sa-  
 pientiæ fulmen erumpit, in  
 medio armorum, fragore,  
 Theologorum, Jurisconsul-  
 torum & Philosophorum vo-  
 ces dominæ detonant: vidisse,  
 inquam, Bibliothecam.

quam



*quam nec nostra silent, quam nec  
ventura silebunt*

*tempora, quam studio tam inten-  
to condidit olim*

*Majorum Pietas, & nostros stru-  
xit in usus:*

Vidisse deniq; Bibliotheca-  
cam, cujus mihi custodiam  
Amplissimus Magistratus cre-  
didit. Quod si igitur ad rem  
aptè & appositè (quod vix pu-  
to) dixi, nō exiguo ad Biblio-  
thecam incrementa fuisse  
videbitur oratio nostra; Sin,  
quod maximè vereor, non  
admodum accommodatè;  
hoc ipsum fortasle non obe-  
rit causæ nostræ.

Momus cūm Venerem  
carpere non posset, sandaliū

ejus



ejus dicitur obtrectâsse: Eo-  
dem modo qui locupletissi-  
mam Bibliothecam nostram  
contemnere non audent, il-  
lud fortè culpabunt, quòd  
cùm laudator tam inanis  
ipsi obtigerit, injuria ei pro-  
pemodum fiat.

Optârim fanè, Audito-  
res, jampridem hoc, quod  
tentavi, ab alio factum esse,  
qui ingenio & eloquentiâ ne-  
gocio ipsi satisfacisset; sed  
eùm, quod sciam, id aggres-  
sus nemo sit, manum admo-  
vi, tum ut amicis gratificarer,  
tum ut inde mihi ipsi aliquod  
honestum animi laxamen-  
tum compararem. Quid  
etiam posthac polliceri ha-  
beam, nescio. Hoc verò af-  
fir.



firmare non reformido, me, etsi parum possim, tamen cum DEO, non minus studii ac laboris ad hanc Bibliothecam custodiendam & ornandam allaturum esse, quàm alios ante me attulisse intellexerim.

Erexit columnas Hercules, cursus sui terminos. At verò Incluto Magistratui nostro in hac Bibliotheca, veluti beneficiorum suorum Oceano, nō erit terminus munificentiae, sed splendidior rem subinde eam reddent, lucri loco ducturi, in rem tantam sumtus publicos facere, ex qua copiosam posteritas nostra frugem demetere possit.

Inter-



Interea omnes Bibliothecarum Ofores plorare, & cæpas edere jubeo. Sinamus illos, aurei velleris gratiâ, in barbaram Colchidem abire: Sinamus venustulos illos Parides suam Menelais Helenam rapere, ut iisdem, quibus ardent, libidinibus, familias inflamment, Patriamque funestent; Nos, præter Pietatis promovendæ studium, bonis etiam literis & disciplinis juvandis atque amplificandis excubabimus:

Idq; Te, opitulante, Rex Regum & dominantium,  
 DOMINE, *Christe Servator.*  
 Cave, quæsumus, tuâ benignitate, ne pessum eant apud nos honesta literarum studia,  
 & quæ

OR  
 o, me,  
 amen.  
 studii  
 liothe-  
 ornan-  
 quàm  
 intel-  
 Hercu-  
 s. At  
 tui no-  
 velu-  
 am O-  
 us mu-  
 didio-  
 ddent,  
 n rem  
 icos fa-  
 n poste-  
 emete-  
 Inter-



& quæ ab iis in bonum publicum dependent. Ecce plurimis adhuc temporum difficultatibus obsepti circumagimur & fluctuamus, ut qui maximè. Guberna igitur nos inter hos fluctus, Naucle-re Summe, ut ad Pacis jamdiu desideratæ Portum appellamus.

Fac, Numinis tui afflatu, ut non tam ex Membranaceis & charteis illis, quæ recitavimus, discamus sapere, quàm in Te, Vivo nostræ Vitæ LIBRO, ad vitam veram proficiamus. Fac, ut nullâ æquè quàm tui lectione, desiderio & amore delectemur, cum asylum è fugâ nullum magis obvium, nullus è naufragio por-



portus tutior, nullum firmitus è ruina receptaculum, nulla tranquillior è tumultibus, quies, nullum deniq; ad vulnera medicamentum salubrius & efficacius Te ipso, & hac unâ Salutis nostræ Paginâ reperiri possit.

In Te igitur mentis oculos defigamus. In Te vires nostras omnes, ad pietatem & probitatem, exprimendam, exerceamus. Per Te, etiam sine aliorum sufflamine, à segnitate & pravitate, à malitia & nequitia abstinemus. Per Te ad Cœlestia enitamur semper, & demus operam, ut non palato gulæ, sed Cœli Palatio, non voluptati humanæ, sed Divinæ voluntati nostram tradamus.

F

Ex



Ex Te Patris Coelestis Mi-  
 sericordia nobis illabatur. Ex  
 Te Gratia ejus & Amor in in-  
 timas animi medullas influat.  
 Ex Te per abdita Pectoris pe-  
 netralia serpat nova hæc  
 mentis Conjux, gremiumq;  
 cordis (ut ita loquar) mariter,  
 & nexu vinciat tam arcto, ut  
 neq; vitâ laxari, neque mor-  
 te dissolvi possit: In quo no-  
 stro & Divi Apostoli  
 voto desinam.


DIXI.



AP.



RIOR.  
is Mi-  
r. Ex  
in in-  
fluat.  
ris pe-  
hac  
iumq;  
ariter,  
to, ut  
mor-  
uo no-  
oli



APPENDIX

DE TYPOGRAPHIA.

Ad Pag. 59.

Salva tamen res est ex iis  
fundamentis, &c.)

**T**Emerè à magnorum Vi-  
rorum sententia disce-  
dere nolim ; sed quia in hoc  
argumento Christianæ Fidei  
Articulus non agitur, nec  
priscorum temporum con-  
suetudo vetat, in libera Re-  
pub. de rebus humanis liberè  
loqui ; cumq; etiam in Biblio-  
theca Inclutæ hujus Reip. Mo-  
numenta nobis fide dignissi-  
ma in rem præsentem suppe-  
tant, sic omninò sentio : In-  
ventorem Artis illius prima-

F 2

rium

AP.





rium IOH. FAUSTUM, proximum ab illo JOHANN. GUTTENBERGIUM fuisse, qui cum Fausto Hero, de initiis illis sollicitè cogitante, suas quoque cogitationes communicavit. Nam inter Famulos Fausti locum habuisse Gutenbergium, Aventinus affirmat, nec Codices nostri dissentiunt.

Primas, inquam, FAUSTO debemus, cui Inventoris nomen non solum *Maximilianus* primus, Imperator Augustiss. in Privilegio Nepoti concessit, sed & libri vetustissimi (nemine olim contradicente) tribuerunt; v. g.

Institutiones Imp. Justiniani, Moguntiaë, 1468.

Quar-



Quartum scriptum Thomæ de Aquino 1469.

Constitutiones Juris Clementis Papæ V. 1471.

Lib. 6. Decretal, Bonifacii Papæ VIII. 1473.

Opus sexti Decretal. 1473.

Institutiones Juris Justiniani cum notis Accursii 1476,

Decision. Dominorum Rotæ 1477. &c.

Accedit Erasmi Roterodami testimonium in præfatione ad Livii editionem (A. 1519.)

*Si laudem, inquit, haut quamquam vulgarem meruerunt olim, qui Origeni & Hieronymo Notarios ac Membranas suppeditârunt; quantum laudis debe-*





tur Typographorum Officinis, quæ  
 nobis quotidie bonorum volumi-  
 num effundunt examina, idq; mi-  
 nimo precio? Si Ptolomæus ille  
 Philadelphus memoriam, apud  
 posteros sibi paravit immortalē,  
 ob Bibliothecam Alexandria com-  
 paratam, insignem quidem illam  
 ac locupletem, sed tamen unam,  
 quid præmii debetur iis, qui nobis  
 quotidie totas Bibliothecas, totos-  
 q; ut ita dixerim, librorum mun-  
 dos, in omni genere lingua-  
 rum, ac literarum, submini-  
 strant? Atq; hujus quidem laudis  
 præcipua portio debetur hujus, pe-  
 ne Divini dixerim, opificii reper-  
 toribus, quorum Princeps fuisse  
 fertur, totius ævi memoriâ cele-  
 brandus, IOHANNES FAUST,  
 Avus ejus, (i. e. Johannis Scheffe-  
 ri.)



ri.) cui Livium hunc tum au-  
 etum duobus voluminibus, tum  
 innumeris locis ex Codice vetu-  
 stissimo castigatum, debemus &c.

Huic geminum est illud  
 Nicolai Carbachii, quem i-  
 dem Erasmus ab insigni eru-  
 ditione & fide commendat,  
 Livianæ illi editioni anne-  
 xum: JOHANNES SCHEF-  
 FER Chalcographus, à cuius Avo  
 (IOHANNÉ FAUSTO) ars  
 Chalcographica in hac primum  
 Urbe inventa, exercitaq; est,  
 quum ex Bibliotheca ædis Mo-  
 guntinæ perquam vetustum na-  
 ctus esset Codicem &c.

Tertius locus in Docu-  
 mentis nostris PETRO SCHEF-  
 FERÒ assignatur, quo de alibi  
 plura diximus. Apparet ex

F 4

iisdem,



iisdem, non esse vero simile,  
quod nonnulli de volumini-  
bus ante annum 1459. excusis  
referunt. Largimur quidem  
hoc Dn. Henrico Sal-  
muth (in notis ad Pancirol-  
lum) ex Fausti & Schöfferi of-  
ficina Bibliorum Codicem,  
anno 1459. integrum prodiis-  
se, sed editionis' tempus' &  
Typographorum nomina si  
quis dixerit subnotata, am-  
plio, ego nondum liquet.  
Nam ex collatione vetustissi-  
morum Codicum colligi-  
mus, ante annum sexagesi-  
mū sextum in Typographia  
Moguntina nondum moris  
fuisse, sive auctoris, sive loci,  
temporisve notā sub finem  
apponere; postea demum  
con-



consuetudinem eam inva-  
luisse.

Biblia igitur anno 1459.  
excusa illis caruisse notis, per-  
suasissimus sum, quale exem-  
plum mihi nuper videre cō-  
tigit ab Amplissimo D. F. ex 80.  
& pluribus Bibliorum editio-  
nibus, quas omnes (quod mi-  
reris) in Bibliothecam privatā  
unus congeffit, Vir genuinā  
probitate cōspicuus, & publi-  
cæ famæ præconiis, cū pro-  
pter alia multa, tum ob hanc  
ipsam industriā, dignissim⁹.

Ut verò, quæ dixi, liquidi-  
us constent, ecce Tibi, Lector,  
Catalogum primarum edi-  
tionum, quas Bibliotheca no-  
stra publica plerasq; omnes  
sibi vendicat!



Moguntia anno 1460. &  
 seqq. ut ex typis colli-  
 gere est,

**O**puscula varia, quorum su-  
 pra in RARIORIBVS no-  
 stris mentio facta.

(NB. Quae ligno incisa sunt,  
 huc non refero; v. g. Libellum  
 fabularum & similitudinum, ubi  
 sub finem rhythmos hos legeris:

Zu Bamberg diß Büchlein geendet  
 ist/

nach der Geburt vnserß HErrn JE-  
 su Christ/

da man zahlt tausend vnd vierhun-  
 dert Jahr

vnd im ein vñ sechzigsten/dz ist waar:

An Sant Valentinus Tag:

Gott behüt vns vor seiner Plag.

Qualis est & D. Hartliebii li-  
 bellus Germanicus, Itemq; Specu-  
 lum morientium, Speculum Sa-  
 lutis & id genus alia. Mo-



Mogunt. 1466.

**C**iceronis Officia per Ioh. Faust / &  
Petr: Gernsch.

Romæ 1467.

Ioh. de Turre cremata meditationes.

Mogunt. 1468.

Institutiones Iuris Imperat: Iustinia-  
niper Petr: Schoiffer de Gernsch. in  
membrana.

Reutlingæ 1469.

Biblia latina, per Iohannem de Au-  
erbach.

Mogunt. 1469.

Thomæ de Aquino Quart: Script:  
per Petr: Schoiffer de Gernsch.

Romæ 1469.

Lucanus de bello Civ: per Conr:  
Schvveinheim & Arnoldū Pannarz.

ibid. 1469.

Ciceronis opuscula.

ibid. A. 1469.

M. T. Cic. in Brutum per Petrum  
de Maximo.

ibid. ut est conjectura, 1470.

F 6

Ho-



*Hostiensis Summa.*

ibid. 1470.

*Ioh. Andreae Episcopi ad summum  
Pontif. Paulum 2. Epistola.*

ibid. 1470.

*D. Hieron. Presbyt. epistolares ex-  
positiones.*

Venet. 1470.

*Ciceronis Epistola ad Brutum, per  
Nicolaum Ienson.*

Coloniae 1470.

*Leonis I. Pontif. Romani Opera.*

Norib. 1470.

*Franc. de Retza comestorium vi-  
tiorum.*

Moguntiae 1471.

*Constitutiones Clementinae per Petr:  
Schoiffer de Gernsch. in membrana.*

Romae 1471.

*Silius Italicus per Conr: Schvveinh. &  
Arnold: Pannarz.*

1471.

*Ciceronis Orationes.*

Ro.



Romæ 1471.

Cic. de finibus bonorum & malor.  
per Cör: Schyveinh. & Arnol. Pannarz.

August. 1471.

Pauli Orosii Chronographia per  
Ioh. Schüsler.

Augustæ 1471.

Petri de Crescent. natal. comm. l.  
12. per Eund.

Noribergæ 1471.

Ioh. Chrysofomi de Patia libri tres.

Augustæ 1471.

Speculum vitæ humanæ per Gun-  
therum Zainer.

Augustæ 1471.

Liber vitæ humanæ ad B. Paulum  
2. Pontif: Maximum à Roderico Ze-  
marenfi.

Spiræ 1471.

Epistolæ Cypriani.

Paris 1471.

M. F. Quintilianus.

Ratisp. 1471.

Ser. vii Commentarius in Vergil.

F 7

Ar-

Ro.



Argent. 1471.

*Clementinae cum apparatu Ioh:  
Andr. Argent.*

*Orationes aliquot Ciceronis, qua-  
rum finis:*

*Hoc ingens Ciceronis opus, Causasq;  
forenses,*

*quas inter Patres dixit & in populo:  
Tu, quicumq; leges, Ambergæ natus  
ahenis.*

*impresit formis ecce Magister Adã.  
Augustæ 1472.*

*Historia tripartita ex Sozomeno  
&c. per Ioh: Schüsler.*

1472.

*Isiodori Etymologia per Guntherum  
Zainer ex Reütlingen progenitum, im-  
pressa literis alienis. (Ita enim habent  
ipsissima verba.)*

1472.

*Dominicus Bolanus de conceptione  
Mariæ Virginis.*

Augustæ 1472.

*Iacobi de Theramo consolatio pec-  
cator. per Ioh. Schüsler.                      ibid.*



ibid. 1472.

Ioh: de Turre opera. Tomi 6.

ibid. 1472.

Ejusd: explanat: in Psalmum Au-  
gust.

1472.

Leonhardi Aretini Epistola fami-  
liares.

Noribergæ 1472.

Bonaventura breviloquium.

Noriberg. 1472.

Alb: de Eyb Margarita Poëtica,  
Epistolaris, & Orat:

Noribergæ 1472.

Antonini de Virtutibus, per Anto-  
nium Koburger.

Veronæ 1472.

Valturri liber de re militari.

1472.

Epitome Alcinoi in Disciplina Pla-  
tonis.

Moguntia 1473.

Decretalium lib. 6 Bonifac. 8 per  
Petr: Schoiffer de Gernsh. in membr.

Ro-

tu Ioh:

is, qua-

Causas qz

populo:

natus

ster Adã.

ozomeno

untherum

itum, im-

im habent

onceptione

platio pec-

ibid.



Romæ 1473.

*Polybii historia Nicol. Perotti.*

ibid. 1473.

*Martialis Epigrammata, per Conrad; Schvveinh: & Arnol. Pannarz.*

Norib. 1473.

Ein alt Theologischer Tractat / ohne Titul.

1473.

*Ægidii Romani de regimine Principum.*

Norib. 1473.

*Boëtii liber de consolatione.*

ibid. 1473.

*Tractatus de sanguine Iesu Christi.*

1473.

*Euseb. Pamph. de preparatione Evangelica.*

Augustæ 1473.

*Roderici, Episcopi Lamorensis, Speculum vite humana.*

Norib. 1473.

*Manlii torquati Boëtii liber de consolatione Philosophica, carminicè translatus.*

Pa-



Paris. 1473.

Ioh. Gerson super Magnificat.

Norib. 1473.

Kaineri Summa per Ioh. Senseschmid de Egra, & Henricum Koler de Moguntia.

1473.

Speculum Morale Vincentii, per Ioh. Mentelin.

Reutlingæ 1473.

Rationale Divinor. Officior. per Ioh. Zeiner.

Noribergæ 1473.

Boëtius de consolatione cum interpretatione germanica, & Comment. Thomæ de Aquino.

Venet. 1473.

Pomp. Mela Cosmographia, cum Comment: Cocchi.

August. 1473.

Augustini de Anconâ Summa, de summa potestate Ecclesiastica.

Paduæ. 1473.

Francisci de Platea, de restitutionib. usur, & excommunicat. Mo-

rotti.

per Con-  
annarz.

tractat /

ine Prin-

e.

u Christi.

paratione

ensis, Spe-

liber de  
arminicè  
Pa-



Mogun' • 1473.

*Corporis Iuris Canonici cum apparatu Tomus Secundus.*

Romæ 1474.

*Lactantius Firmianus per Udalricum Gallum, & Sim: Nicol. de Luca.*

ibid. 1474.

*Butrii de Ancha consil. per M. Adam: Roth, Clericum.*

Norib. 1474.

Ein Theologischer Tractat/darinnen auch wider die Juden gehandelt wird/durch Fritz Creusner.

Norib. eod. t.

*Psalmi Latini, mit grober Deutscher Schrift / per Frid: Creusner.*

Mediol. 1474.

*Cic. Officia, de Senect: Amicitia, & Parad: per Anton. Zorattum Parmensem.*

1474.

*Terentii Comœdia.*

Norib. 1474.

*Hieron. Cardinalis Liber in vitas Patrum.*

Ul-



Ulmae 1474.

Iac. Carthuse sermones.

Romae 1474.

Lactantii divinar. institut: Libb. 7.

Mogunt. A. 1474.

Specul. Hist. Vincentii, per Ioh. Faust.

Norib. 1474.

Th. Aquinatis Quodlibeta 12. per  
Andr. Frisner, & Ioh. Sensenschmid.

ibid. 1474.

EjUSD. in 4. Evangelistas, per Ant.  
Koburger.

ibid. 1474.

Petri Lombardi libri sententiar.

Norib. 1474.

S. Petri Cardinal. tract: de sangv.  
Christi.

Ulmae 1474. & Reutlingae eod. A.

Alvari Pelagii Summa de planctu  
Ecclesiae Christianae.

Venet. 1474.

Pisani supplementum, per Francisc.  
de Heilbrunn, & Nicol. de Franck-  
forthia socios.

Co-



Colon. 1474.

*Thomasini de Ferraria opus Quadragésimale, per Ioh. Koelhof.*

1474.

*De Turcarum presenti afflictione.*

Romæ 1474.

*Calderini Dominici nota in Iuvenalem.*

Venet. 1474.

*Nic. Perotti Rudiment: Grammatica.*

Venet. 1474.

*Andreae Barbathe Comment: super tit: Decretal. de offic. deleg.*

Mogunt. 1474.

*Decretales cum apparatu.*

Romæ 1475.

*Laurentii Valla elegantia latine lingue per Arnold. Pannarz.*

A. 1475.

*Libri Confessionis Augustini.*

Eßlingen/ 1475.

*Petri Nigri de Iudæorum perfidia tractatus, per Contr. Fyner de Gerhuse-*

*sen.*



Neapol. 1475.

*Iuniani Maji de priscor. verborum  
proprietate per Matth. Moranum.*

Venet. 1475.

*Bartoli super Codice Iuris.*

ibid. 1475.

*Ioh: de Imola in clement: constit: per  
Iacob: de Rubeis, natione Galli.*

Augustæ 1475.

*Catonis Magni Ethica.*

Norib. 1475.

*Biblia sacra, per Anthon. Koburger.*

Ulmæ 1475.

*Biblia aurea, id est, introductio in  
Biblia.*

1475.

*Lichtensteinensis Eremitæ mirabilis  
visio, de iudicio Iovis.*

Basil. 1475.

*Rob: de Licio opus Quadragesimale.*

Mog. 1475.

*Codex Iustiniani per Petr: Schöffler.*

Venet. 1475.

*Laërtii vita Philosophorum.*

III.



Ulmae 1475.

Leonhardi de Utino sermones, Tō. 2.

Norib. 1476.

Boëtius de consolatione Philosophiae,  
per Anth: Koburger.

Romæ 1476.

Ioh. Andreae Novella.

Venet. 1476.

Bartholi super ff. nov. per Ioh: de  
Colonia, & Ioh: Menthelē & Gerrezē.

Argent. 1476.

Bona Venturae Speculum Mariae  
Virginis.

Norib. 1476.

Elucidarius Scripturarum, per Frid:  
Creusner.

ibid. 1476.

Confessionale Anton. de Florentia.

ibid. 1476.

Libellus, docens modum legendi ab-  
breviaturas in utroq; Iure.

1476.

Ioh: Regiomontani Calendarium.

1476.

Baldus



Baldus de Perusio super lib: 1. & 2.  
Decretal. Tom. 1.

Paris. 1476.

Franc: de Platea tract: Usurar. &  
Excommunicat.

Augustæ 1476.

Ambrosius de Iohan. generatione  
per Anthon. Sorg.

Noribergæ 1476.

I. Pars Repertorii, Andr. Frisneri.

Venet. 1476.

Sermones Michaelis de Mediola-  
no, per Franciscum de Heilbrunn.

Venetiis 1477.

Bartholi lecturæ per Ioh: de Colo-  
nia, ejusq; Socium Ioh: Menthelen, &  
Gerrezem.

ibid. 1477.

Lucani Pharsalia.

Norib. 1477.

Laërtii libellus de vita, & moribus  
Philosophorum, & Poëtarum.

Norib. 1477.

Ios. Opitii opusculum de Philoso-  
phor. informi fide. ibid.



ibid. 1477.

*Pantheologia Tom. 3.*

ibid. 1477.

*Reinerii de Pisis opus. T. 3.*

Venet. 1477.

*Scoti opera.*

Norib. 1477.

*Alb: Trotta de Ieiunio, & Missa.*

ibid. 1477.

*Ejusd: Summula.*

Tarvisii 1477.

*Tortelli Aretini Comment: Gram-  
mat: & dictionarium nominũ prior.*

Venet. 1477.

*Ciceronis Orationes cum Comment:  
Pediani, & Luschi.*

ibid. 1477.

*Dionysii de situ orbis.*

ibid. 1477.

*Anton. Luschi inquisitio super O-  
ration: Cic:*

Tarvis. 1477.

*Iunran: Maji de priscorum proprie-  
tate verborum, sive Dictionar.*

Venet.



Venet. 1477.

Barth. de Bellentzinis Apostilla super Lectur. Abbatis, & Anton: de Butrio.

ibid. 1477.

Dominicus de StoGeminiano, super Sexto Decretal.

1477.

Hostiensis summa super V. Libros Decretal.

Basil. 1477.

Panormitanus, alias Abbas Siculus dictus, super V. libb. Decretal. Tom. 5.

Venet. 1477.

Idem super V. Libb. Decretal. Tom. 5.

Venet. 1477.

Super 2. sentent. Bonavent. per Theodor. de Rheinsburg & Roinaldo Noviomagio, socios.

Venet. 1477.

Digestor. opus per Nicolaum Ienson, Gallicum.

Basileæ 1477.

Bonifacii 8. Op. quod sextum Decre-

G

tali-

Venet.



*taliū appellatur, per Mich. VVensler.*

1477.

*Panormitani super Secundo Lib:  
Decretal. Pars 1.*

Venet. 1477.

*Corporis Iuris cum apparatu T. 1.*

Norib. 1477.

*Petri Nigri tractatus contra Iudæos,  
& alia.*

Venet. 1477.

*Petri Candidi de Civilibus Roma-  
nor. Bellis ex Appiano Alexandrino.*

Eßling. 1477.

*Bruder Peters/Prediger Ordens/  
Tractat/wider die Juden.*

Venetiis 1477.

*Appiani Alexandrini Liber.*

Venetiis 1477.

*Thomæ de Aquino I. Pars summa.*

Romæ 1478.

*Bartoli, & Oldradi consilia.*

Venet. 1478.

*Horatii opera per Philip: Condam.*

ibid, 1478.

Lact:



*Lact. Firm: per M. Andr. Pas-*  
*sphaltem & Boninum de Boninis.*

Norib. 1478.

*Biblia latina.*

Augsburg 1478.

*Das Buch der Natur bey Joh.*  
*Baimler.*

Mogunt. 1478.

*Henrici Herph Speculum decem*  
*praeceptorum.*

Norib. 1478.

*D. Hieron. Presbyt. Vita Patrum.*

ibid. 1478.

*Iac. Ianuensis legēda sanctor. omniū.*

Venet. 1478.

*Lactantius adversus gentes.*

ibid. 1478.

*Ejusd. divinar. institutionum Libri 7.*

1478.

*Conradi Leutenbach Dictionarium.*

Argent. 1478.

*Liberti Gericensis libellus.*

Norib. 1478.

*Petri Lombardi opera, Tom. 2.*

G 2

ibid.

*Lact:*



ibid. 1478.

*Ejusd. in Davidis librum Hymnor.  
per Andr. Frisner, de VVunsidel, &  
Ioh. Sensenschmid.*

ibid. 1478.

*Ludolphi Saxonis vita Christi.*

ibid. 1478.

*Vincentii vitæ Patrum.*

Venet. 1478.

*Anth. Beccania in Dionysii tradu-  
tionem de situ Orbis.*

Venet. 1478. per Renner.

*Dionysii de situ Orbis.*

Norib. 1478.

*Ant. Episcopi Florentini opera in  
membrana.*

Tarvis. 1478.

*Senecæ opera.*

Norib. 1478.

*Leon. de Vtino sermones de San-  
ctis, per Anton. Koburger.*

Mog. 1478.

*Ioh. de Turrecremata expositio  
Psalmod. per Pet. Schoiffer de Gernsch.*

Tho.



A. 1478.

*Th. de Aquin. additionū pars ter-  
tia per Ioh. de Polonia & Matthæum  
de Gherezem.*

Basileæ 1478.

*Petrus de Pergamo super omnia  
Thomæ Aquinatis opera per Bernb.  
Richel.*

Venet. 1478.

*Ioh. de Sacrobusto Sphæra.*

Basil. 1478.

*Gvarini Dictionarium latinum,  
Breviloquus vocabularius dictus.*

Venet. 1478.

*Astenaxide Ast Summa de casibus.*

Norib. 1478.

*Astensis Fratris Summa Magistru-  
tia, seu Pisanella.*

Argent. 1478.

*Innocentii 4. Apparatus Decret:  
cum Repertorio Baldi de Berusio.*

Basil. 1478.

*Constitutiones Clementis Papæ V.*

Spiræ 1478.

*Vocabularium utriusq; Iuris. Me-*

lymnor.  
fidel, &

risti.

i tradu-

ner.

opera in

de San-

expositio  
Gernsch.

Tho



Mediol. 1479.

*Pauli Florentini Quadragesimalis.*

Norib. 1479.

*Alex: de Nevo contra Iudæos scenerantes.* ibid. 1479.

*Libellus de vita, & moribus Philosophor. & Poëtar. per Frid. Creusner.*  
Venet. 1479.

*Q. Horatii Flacci Carmina.*

Mediol. 1479.

*Simoneta de rebus gestis Fr. Sfortia.*  
Vincent. 1479.

*Tortetii Aretini Commentariorum Grammaticor. opus, per Steph. Koblinger, Viennensem.*

Vincent. 1479.

*Hubertini Clerici Cisterciensis in epist. Ciceronis Commentar. per Hermannum Lichtenstein.*

1479.

*Animæ lumen, Liber de rebus naturalibus.*

Mantuae 1479.

*Alberti M. libb. 26. de animalibus.*

Ve-



Venet. 1479.

Bapt: Quarini regula Grammatices.

1479.

Promptuarium moralium rerum,  
mixtim & Theologicarum.

Basileæ. 1479.

Franc: Accursii casus longi, super  
V. libb: Decret. & casus Summarii  
Sexti Decretal.

Bonon. 1479.

Joh. de Anania super Quinto Decre-  
tal. per Henr. de Colonia.

Romæ. 1479.

Augustini de Ancona Summa.

Venet. 1479.

Corporis Juris Can: cum apparatu  
Tomi 2.

Colon. 1479.

Fasciculus temporis, Carthusiensis.

Basil. 1479.

Mich: de Mediolano Sermones, &  
aliud Quadragesimale: per Mich.  
Vvensler.



Venet. 1479.

*Mammorrectus, per Nic. Ienson.*

Vicent. 1479.

*Sermones Leonhardi de Vtino quadragésimales, per Stephanum Koblinger de Vienna.*

Venet. 1479.

*Secundus liber partis secundæ Thomæ de Aquino.*

Parmæ 1480.

*Titi Livii Decades, per Mich. Manzolinum.*

Veneriis 1480.

*Ciceronis quaestiones Tusc. per Phil. Petri.*

Vicent. 1480.

*Ovidii Opera per Hermann. Coloniensem Lichtenstem.*

Argent. 1488.

*Exceptiones, legesq; Romanor. cum tractatu actionum.*

Genuæ 1480.

*Ioh. Viterbiensis de futuris Triumphis contra Saracenos.*

Bar-



1480.

Barthol. Anglicus de rerum proprie-  
tatibus.

Colon. 1480.

Thomæ de Aquino pugnantium lo-  
corum conciliationes.

Eod. Anno & loco.

Ejusd: Comment: in lib. 3. de Ani-  
ma, & 8. acroas. Phys. Aristot:

Colon. 1480:

Petr: de Bergamo Concordantiæ.

Mediol. 1480.

M. Henr: de Hassia contra disceptio-  
nes Frat: mendicantium.

Venet. 1480.

Martialis cum Commento.

Colon. 1480.

Gerardi de Monte Concordantiæ  
dictor. Alberti M. & Thomæ Aquin:

Norib. 1480.

Opus Ioh. Herolti, discipuli de tem-  
pore, & sanctis per Ant. Koburger.

Brixia 480.

Solinus de mirabilibus mundi.

G 5

Ve-

Bar-



Venet. 1480.

*Liber Secundus partis secunda Th. de  
Aquino, per Ioh. Colon. Agrippinen-  
sem, & Ioh. Mantheln.*

ibid. 1480.

*Speculum manuale sacerdotum  
Herm: de Schildiz, in membrana.*

ibid. 1480.

*Lectura Bartoli de Saxo ferrato su-  
per 1. parte Codicis, per Ioh. Colon. &  
Ioh. Matheln.*

Venet. 1480.

*Terentius cum Commentario.*

Basil. 1480.

*Gvarini Dictionar. Lat: Breviloqvus  
Vocabularius dictus.*

1480.

*Hostiensis Summa.*

Noribergæ 1481.

*S. Vincentii Ord: Prædicator. A.  
1455. canonizati de fine mundi, per  
Conrad: Zeninger.*

ibid. 1481.

*Frat: Ord: Prædicator: de Turcis.*

EO-



Eodem tempore.

*Mensa Philosophica.*

Signis 1481.

Fr: Hermanni Dialogus.

Noribergæ 1481.

Henr: Herphf Sermones de tempore,  
& alia opera. Tom: 2.

ibid. 1481.

Platina de vitis Pontificum, Et de  
vita Christi, per Ant. Koburger.

ibid. 1481.

Scoti super Quartum Sententiar. per  
Ant: Koburger.

Venet. 1481.

Th. de Aquino super Quart. Sen-  
tentiar. per Ioh. de Colonia, & Nic.  
Ienson.

Norib. 1481.

Summa Alexandri de Ales, per  
Ant. Koburg.

Spiræ 1481.

Parati Sermones de tempore, &  
sanctis, per Petr. Drach.

Romæ 1481.

G 6

Ori-

Th. de  
ippinen-

erdotum  
na.

rrato su-  
Colon. &

io.

vilogvus

tor. A.

ndi, per

Turcis.

Eo-



*Origenes contra Celsum, per Georg.  
Herolt, de Bambergæ.*

Norib. 1481.

*Anton: de Rampegalis Senens: Re-  
pertorium Bibliorum.*

Basil. 1481.

*Vincentii Belracensis ordinis Præ-  
dicator: opera.*

Mediol. 1481.

*Orationes Francisci Philelfi, & alia  
opera.*

Venet. 1481.

*Iuxta Alfarabii viam, Rhetorica  
Aristotelis.*

Lovanii 1481.

*Henr: de Comeren Dialogus Occam.*

Parmæ 1481.

*Ioh: de Magistris quæstiones super  
totam Philosophiam.*

Venet. 1481.

*Pauli Pergolensis Logica.*

Norib. 1481.

*Æneæ Sylvii tractatus de educatio-  
ne liberorum.*

ibid.



ibid. 1481.

Vocabularius U. 7. per Ant. Koburg.

1481.

Archidiaconus ( qui aliàs Guido de Buisio Archidiac: Bononiensis dictus est) super Decreto.

Bonon. 1481.

Franc: Aretinus super lib. 2. Decretalium.

1481.

Franc: Genuensis de Monelia E-mendat: Decretal.

Venet. 1481.

Innocentii 4. Apparatus Decretal.

1481.

Oldradi de Laude consilia, sive quaestiones.

Venet. 1481.

Fran: de Zabarellis super Clementinas, Tom. 4.

Basil. 1481.

Corpus Iuris Canon: cum Apparatu Tom. 3.

Colon. 1481.

Casarii Cistertiensis Monachi dialog. miraculorum.

G 7

Ve-

Georg.

ms: Re-

is Pra-

& alia

etorica

Occam.

es super

ucatio-

ibid.



Venet. 1482.

*Euclidis elementor. Geometricor. l:  
15. per Erhard: Ratdolt, Augustesem.  
Norib. 1482.*

*Petri de Aliaco tertia pars summa.  
ibid. 1482.*

